tatis, refragatur; nam licet Vicarius non possit alium Vicarium constituere, & sic Vicarius, licet ordinarius, aliumæqualiter ordinarium constituere non possit, hoc non obstat; neque enim ex natura jurisdictionis ordinariæ provenit collatio beneficiorum: quare Vicarius etiamsi sit ordinarius, eam non habet. Ita adducit fundamentis, & aliis satisfaciunt Sanch. & Narb. *ubi sup.* qui observant hanc sententiam veram esse in Vicariis generalibus, non vero in foraneis, seu constitutis in locis privatis a negotia particularia; in illis enim vera est contraria sententia, videl. Vicarios jurisdictionem delegatam habere. Quatenus autem Vicarius Episcopi præcedat Archidiaconum in choro, explicat Valenz. *consil. 101. tom. 2.*

6 De Vicario Pontificis.

Hæc procedunt in Vicariis Episcoporum, & aliorum Prælatorum; sed ut ad præsentem decisionem proprius accedamus, sciendum est, R. Pontificem habere vicarium in ipsa civitate, cui committit suam jurisdictionem in his, quæ intra urbem sunt, & extra usque ad 40. milliaria, habeque jurisdictionem samquam Episcopus, & alia specialia exercet ex concessionibus R. Pontificum, ut docent Vestrius *l. 2. praxis, c. 16. de Vicario urbis*, Flaminius *de resig. l. 7. c. 14.* Petr. Greg. *l. 47. syntagm. c. 35. n. 8.* Cohelius *in notitia Cardin. c. 55.* Hujus Vicariiment io extat in epigraphe textus *in c. dilectus, de excessibus Prælat. c. Is cui, de elect. l. 6.* & licet olim Episcopi Torcilanensis, Burgi sancti Sepulchri, & similes eligerentur in Vicarios, ut ex bullis Pauli II. & III. probat Cochelius *ubi sup.* hodie tamen tantum Romanæ Ecclesiæ Cardinalis eligitur in Vicarium. Cohelius *d. c. 55.* Barbosa *in summa verbo Vicarius.* Etiam Iolet Rom. Pontifex, dum ab urbe discedit, Vicarium in urbe, seu Legatum relinquere, de quo agitur in præsenti textu; illeque habet jurisdictionem tantum intra urbem, nisi aliter eam R. Pontifex demandaverit, ut ex Bulla Clementis VIII. probat Cohelius *ubi sup.* qui recenset, & refert catalogum Cardinalium, qui hujusmodi officium obtinerunt, & alia specialia, quæ ad Vicarii Pontificis officium spectant.

Ex quibus jam apparet vera decidendi ratio ad nostrum textum; nam cum Vicarius Pontificis jurisdictionem, quam exercet in urbe, habeat ex delegatione, & commissione R. Pontificis, debet juxta formam ipsius delegationis eam exercere, *c. cum dilecta, de rescriptis, c. porro, de privil.* Unde cum Vicarius a Pontifice designatus, dum ipse extra Urbem proficiscitur, tantum constituitur ut intra urbem jurisdictionem exerceat, recte decidit in præsenti, Vicarium ob Innocentio III. designatum non potuisse extra urbem jus dicere, seu jurisdictionem exercere.

7 Ratio decidendi.

Nec obstat difficultas supra pro dubitandi ratione adducta; nam quod in ea expendebamus, verum est, & Iocum habet regulariter in Vicariis absolute constitutis, quibus Judex commisit vices suas, qui regulariter possunt omnia ea exercere, quæ judex, qui vices concessit, obire valet. Nec quod dicebamus de Præfecto urbis, in cujus locum successit Vicarius Pontificis; adversatur, quia licet admittamus, Vicarium Pontificis suffectum fuisse in locum Præfecti urbis; non tamen in omnibus subrogatus fuit: quare non per omnia exæquatur officium R. Pontificis jurisdictioni Præfecti Urbis. Nec aliud augmentum ipsius difficultatis, deductum *ex d. c. si civitas*; refragatur, quia textus ille procedit, cum ille, qui habet jurisdictionem intra, & extra urbem, civitatem suppositi interdicto; tunc enim non solum ipsa civitas, verum & ipsius suburbia interdicta censentur: at vero in specie præsentis textus Vicarius Pontificis tantum intra urbem, non extra, jurisdictionem obtinebat.

8 Dissolvitur dubitandi ratio.

CAPUT VI.

Honorius III. a *Episcopo Vigior.*

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quod quidam in Ecclesiis, quibus *b* perpetuas obtinent vicarias, debitam residentiam facere, ac in presbyteros promoveri contemnunt. Nolentes igitur abusum hujusmodi, sicuti nec debemus, æquanimiter sustinere, s. t. m. quatenus perpetuos Vicarios, ut in Ecclesiis, in quibus Vicarias obtinent, *c* resideant, ut tenentur, & se in *d* presbyteros, ut eorum cura exigit, faciant promoveri, per subtractionem proventuum Vicariarum ipsorum, app. rem. compellas.

NOTÆ.

a *Vigiorn.*) De hac Ecclesia aliqua notavi *in cap. natali 9. de electione*. Textum hunc ex quinta collectione Honorii III. edita ab Innocentio Cironio ita restituo.

b *Perpetuas.*) De quibus Vicariis egi *in c. 1. hoc tit.*

c *Resident.*) Ut alii, qui beneficia obtinent in titulum, juxta textum *in c. fraternitati, de clericis non resid.* ubi præsentem textus partem illustravimus.

d *In presbyteros.*) Tamquam beneficium parochiale habentes, *c. cum in cunctis, §. inferiora 5. de elect.* ubi commentarium hujus textus reperies.

TITULUS XXIX.

De officio, & potestate Judicis delegati.

CAPUT PRIMUM.

Alexander III. a *Ludon. Episcopo.*

QUia *b* quæsitum est a nobis ex parte tua, quid faciendum sit de *c* Potestatibus, quæ cum præcipimus alicui *d* justitiam exhiberi, de his, quos diligunt, aut tueri volunt, minis, *e* aut terroribus suis conquerentes, sistere compellunt, & sic mandatum nostrum eluditur. Id tibi respondemus, *f* quod sicut agentes, *g* & consentientes pari pœna Scripturæ testimonio puniuntur: sic tam eos, qui trahuntur in *h* causam, quam principales eorum fautores, si eos manifeste cognoveris justitiam impedire censura ecclesiastica *i* poteris coercere.

NOTÆ.

1 a *Lundon.*) Ita legendum est, ut etiam legitur post Conc. Lat. sub Alex. III. *p. 7. c.* & in prima collectione, *sub hoc tit. c. 2.* De Ecclesia autem Lundoniensi in Anglia, vulgo *Londres* dicta, plura adduxi *in c. cum olim 6. de consuetudine*, ubi notavi; Episcopo Lundon. plures, variaque caussas nostrum Alex. delegasse quod aperte constat *ex c. 3. c. causam 17. hoc tit. c. 3. de dolo & contumacia, c. 4. de rest. spol. c. causa, qui filii sint legitimi*, & aliis pluribus: unde iple consulit frequenter Alex. III. præcipue, an liceret aliquas ex his caussis aliis subdelegare, *c. 3. hoc tit. c. 1. hoc tit. in 1. collect.* ubi ita illi rescribit Alexander: „ Cum tibi sit de benignitate Sedis Apostolicæ indultum, ut causas, quas de mandato nostro suscipis terminandas, liceat tibi personis aliis, uni, vel pluribus delegare; sed ab his, quibus causa per te fuerit commissa, „ fas sit litigantibus appellare; & si eadem causa tibi fuerit „ a nobis commissa ap. rem. accidit interdum, sicut tu asseris, quod causam, quam tibi commisimus ap. postposita „ terminandam, aliorum experientiæ committis audiendam, „ & appellationem alter litigantium ad tuam, alter ad nostram audientiam interponat. Consult. t. t. respondemus, „ quod ei appellationi, quæ ad nos interponitur, est omnino deferendum, licet fuerit ap. remota commissa.

b *Quæsitum est.*) Frequenter enim judices delegati super negotiis, & caussis sibi commissis consulunt ipsos delegantes, *leg. solent 6. §. lege i, ff. de officio Proconsulis*, sicut Magistratus Principes, a quibus designati sunt, *l. 1. ff. de appel. l. 1. ff. de ventre inspiciendo, l. non distinguimus 32. §. cum quid, de rescrip. l. verum 11. §. ex facto, ff. de minoribus, 4. licet 77. de legat. 1. licet 23. de usufructu legato*. Plura congerunt Brissonius *de formulis lib. 3. p. 339.* Donellus *l. 1. comment. c. 9.* Cujacius *ad Digesta, in l. licet 23. ff. de usufructu legato.*

c *Potestatibus.*) Potestatis verbum varias habet acceptiones, *l. potestatis*, ubi plura congerunt Gentilis & Fornerius, *ff. de V.S.* Brissonius, Calvinus, & alii Lexicographi *verbo Potestas*: in præsenti accipitur pro Magistratibus populi, seu civitatis, ut plerumque fumitur in utroque jure, & apud bonæ notæ Interpretes, *e. qui resistit 97. c. fin. de judiciis, c. omnis anima, de conjugis, c. per vestras, de donat. inter, c. cum inter, c. ex parte, de consuetudine, c. quia non, §. 1. de homicidio, l. 1. ff. quod quisque juris, l. ult. ff. quod metus causa*, Ammian. Marcell. *l. 30. Æra gravis quercati publicas potestates*. Svetonius *in Julio, c. 20. Quoad potestatem abiret*. Plinius *l. 29. c. 4. Miris fulcit dominos, potestatesque exorabiles*. Sidonius *l. 1. epist. 8. Vigilant fures, dormiunt potestates*. Salvianus *l. 1. de provid. Dives potestas pauperum facit esse Rempublicam*. Ubi Rhiterusius *pag. 10.*

d *Justitiam exhiberi.*) Clausula hæc usitatissima est in rescriptis Apostolicis, *c. 1. & 2. de mutuis petitionibus, c. inter 8. de majorit. & obed. c. licet 10. c. ex tenore 11. c. ex parte 15. de foro compet. c. qualiter 17. de judiciis, c. cum venissent, de testibus*, cujus clausulæ varios effectus referunt in præsenti Barbosa *num. 7.* Decius *n. 2.* Berojus *n. 9.* Velasco *de jure emphyt. q. 6. n. 15.* Barbosa *de clausulis, clausula 76.*

e *Minis*

5 e *Minis, ac terroribus.*) Ex his verbis deducunt in præsenti Abbas *n. 3.* Barojus *n. 11.* induci metum justum cadentem in constantem virum ex minis & terroribus Principis, sed non satis commode, & extra rem: videndi tamen sunt Sanchez *l. 4. de matrim. disp. 6. n. 4.* Basilius *l. 4, c. 5. n. 6.* Barbosa *l. 1. voto 1.* Peloaga *tr. c. 1. de his quæ vi.*

6 f *Quod sicut.*) Non sunt hæc verba referenda ad rationem decisivam hujus textus, quare videlicet impedientes jurisdictionem delegatam, possunt coerceri ab ipso judice delegato: sed referri debent ad eam partem, ubi Pontifex exæquat eos qui jurisdictionem impediunt, cum illis, qui nominatim designati sunt in ipso rescripto, ut sicut ipsi expressi in rescripto impedientes jurisdictionem, possunt per judicem delegatum puniri; ita similiter eorum fautores & potestates impediendo usum jurisdictionis delegatæ; valent coerceri per ipsum delegatum.

7 g *Agentes & consentientes.*) Huic D. Pauli testimonio *in ep. 1. ad Rom. vers. 12.* consentiunt, & adstipulantur textus *in c. facientes 3. 86. dist. c. nostrum 19. q. 1. c. sicut 6. §. illi autem, de homicidio, c. feliciis 5. §. cum autem, vers. Illud, de pœnis in 6. Clement. 1. eod. tit. l. 1. §. pœna 2. de raptu virgin. leg. 14. §. cæsonemos*; ubi Glossa, *C. de sacros. Eccles. c. error, 63. dist. c. negligere 54. 3. q. 1. c. nuper, vers. in prima, c. quanto, de sent. excom.* Facit Quintilianus *declamat. 255.* ibi: *Hoc natura simile est, facere scelus, & probare.* Illustrant hoc axioma Barbosa *in axiomate, verbo Agentes.* Sed contrarium, imo graviorem pœnam consentientibus, quam facientibus esse irrogandam, probari videtur *in c. tanta 24, 86. dist. c. qui alia 32. 2. q. 3. c. qui consensit 100. 11. q. 3.* imo aliquando leviorem imponi, suadetur *ex c. sicut 6. §. illi etiam, de homicidio, l. 2. ff. ad legem Pompeiam.* Quæ jura ut componant Bochic. Hostiensis, & Vivianus *in præsenti*, Farinacius *in praxi, 4. p. q. 129. n. 32.* Sahagun. *in hoc textu, n. 4.* Nathen. *in just. vulner. pag. 83.* varia adducunt. Sed illis omissis, admissa sententia Glossæ hic, quam omnes vespertini Antecessores nostræ Academiæ sequuntur, quatuor distinguendi sunt modi consentiendi delictis. Primus est qui ex negligentia provenit; cum enim quis possit crimen vitare, & excludere, idque facere omisit, mitius punitur, quam peccati reus, & auctor, *c. quidquid 101. 1. q. 1.* licet enim ex vinculo charitatis teneamur non solum damnum non inferre, sed ab alio inferendum vitare, *c. dilecta 6. vers. Et quidem, de sent. excom. l. 6. d. c. negligere, d. c. error, d. c. facientes*; & sic non minus peccet, qui reatum admisit, quam qui non vitavit, *c. pasce, 86. dist.* dicemus *in c. 2. de hæreticis*: unde excommunicationem incurrit; qui cum possit impedire manus injectionem in clericos, eam non vitavit, *c. quanto, de sent. excom.* etsi contrarium teneat Marinis *l. 11. resol. c. 111.* tamen ex vinculo justitiæ non tenetur quis damnum vitare, *l. metum 9. §. 1. vers. Sed licet, ff. de eo quod metus, l. in delictis 5. §. 1. ff. de noxalibus, l. penult. §. 1. ff. de donat.* Paulus *lib. 2. sent. tit. 7. §. 5.* Unde in foro exteriori mitius punitur consentiens, quam reus principalis, nisi persona, quæ potuit vitare, sit Magistratus, cui ex officio competit delicta populi cohibere, alias pari pœna punitur. Gutier. *lib. 2. canonic. c. 6. n. 104.* Farinacius *de hæres, q. 112.* Suarez *de cens. disp. 6. sect. 2.* Genuensis *practicab. q. 69.* Quo modo accipiendi sunt textus *in l. scientia 45. ff. ad leg. Aquil. l. 3. l. 4. §. 1. ff. de noxalibus, l. fundus 83. ff. locati.* Nec contrarium probat text. *in c. quidquid 101. 1. q. 1.* ubi Prælatus, qui non prohibuit delictum a subdito perpetratum, mitiori plectitur pœna. Quia pro ejus textus expositione discrimen constituendum est inter superiorem scientem subditum perpetrare delictum, illudque non prohibentem; & inter judicem delictum esse commissum scientem, & illud non vindicantem. Primo casu pari pœna plectitur, ex supratraditis; secundo vero mitiori, *c. pia, 18. dist.* quo casu procedit textus *in d. c. quidquid 101.*

8 Proceditur alii casus.

Secundus casus est, cum delicto perpetrando non solum quis annuit, verum & illud consulit. Circa quem sciendum est, quod aut quis consulit delictum illi, qui alias perpetraturus illud non erat; aut illi, qui absque tali consilio erat perpetraturus. Primo casu æquali pœna ac delinquens tenetur, quia cooperari & opem ferre videtur, *l. qui a servo 36. l. in furti 56. §. consilium 3. ff. de furtis, non solum, §. Attilicinus, ff. de injuriis, el. 1. §. incidit 17. ff. ad Turpil. c. significasti, c. sicut, §. clericus, de homicidio.* Secundo vero casu non æquali, sed mitiori pœna est plectendus, *§. c. feliciis, vers. Illud, de pœnis in 6. §. interdum 11. Instit. de oblig. quæ ex delicto.* Quam distinctionem sequuntur, & amplectuntur Pichardus, Binius, & alii institutarii *d. §. interdum*, Covar. *in Cl. si furiosus 2. p. §. 2. n. 1. P.* Faber *in l. consilii 47. ff. de regul. juris*, Plaza *de deliciis, l. 1. c. 17.* Gibalinus *de irreg. c. 43. & de cons. disquisit. 3. q.* Nec huic juris principio adversatur textus *in l. 1. §. sed utrum, ff. de servo corrupto*, ubi indistincte consulens tenetur. Nam respondendum est, in eo textu nullam distinctionem adhiberi inter consulentem servo fugam, alias fugiente; & inter consulentem non fugitivo, quia neutro casu æquali pœna imponitur servo fugienti, ac illum corrumpenti; siquidem pœna servi est corporalis, *l. si fugitivus, C. de servis fugitivis*; consulens vero fugam in duplum tenetur, *l. 1. in princ. ff. de servo corrupto.* Ut tamen homines magis terreantur a servorum corruptione, æqualiter punitur corrumpens servum alias fugitivum, ac consulens fugam non fugienti. Tertius casus consentiendi delicto contingit, cum non solum quis consentit delicto, verum auxilium, opemque fert: quo casu æquali pœna ordinaria coercetur, *l. vulgaris 21. §. si duo, ff. de furtis, l. item 11. §. 1. & si plures 4. leg. ita 51. §. ult. ff. ad legem Aquil. leg. verum 6. cum seq. ff. ad leg. Pomp. de parric. leg. raptores 23. ff. ad S. Corn. de sicar. penult. ff. ad l. Jul. repet.* Ad quem casum referendi sunt textus nostri, & lex Julia, *Cod. de maleficiis*, & alii, in quibus docetur, agentes & consentientes pari pena esse puniendos. Docent Farinacius *ubi sup. q. 130.* Menochius *lib. 1. de arbitr. casu 344.* Quartus modus consentiendi delicto contingit cum post illud commissum quis auctoritatem interposuit, illud approbando, & defendendo. Quo casu procedunt textus *in c. alias 10 24. q. 2. c. qui consentit 11. q. 3.* Docent Menochius, & Farinacius *ubi sup.*

9

h *Causa.*) Quare causa, quæ ad cognitionem Episcopi proprio jure spectat, illi aliquando committatur, & delegetur, disputant in præsenti omnes fere classici. Nos tamen eam juris quæstionem variis distinctionibus absolutam dabimus *in c. licet, de officio Ordinarii.*

i *Districtione ecclesiastica.*) Id est excommunicatione, suspensione, & similibus censuris, ut statim dicemus.

COMMENTARIUM.

10 Conclusio referitur, & probatur.

EX hoc textu communiter deducitur sequens assertio: *Judices delegati virtute suæ jurisdictionis possunt coercere non solum reos contumaces, verum & quoslibet alios suæ jurisdictionis usum impedientes.* Probant eam textus *in c. de causis 4. §. 1. c. præterea 5. c. significasti 7. c. sane 11. c. pastoralis 18. c. ex litteris 29. hoc tit. c. cum causa 9. de in integrum restit. c. cum ex litteris 32. eod. constitutis 45. de rescriptis, c. pastoralis, §. 1. de officio Ordinarii, c. conquerente 7. de restit. spol. c. litteras 14. de præscript. c. de prudentia, de donat. inter c. pro illorum 12. de prab. c. ut officium 12. §. compescendi, de hæreticis lib. 6.* Trident. *sess. 25. de regular. cap. 5.* Consonant lex *70. tit. 8. partit. 2.* lex *17. tit. 4. eod. partit.* lex *sancimus 15. Cod. de judiciis.* Illustrant ultra ordinarios in præsenti, & relatos a Barbosa *hic, num. 2.* Riminaldus, & Sahagun. *in d. c. 1.* Tiberius Decianus *4. p. praxis, cap. 25.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 21. n. 82.* Petrus Gregor. *l. 6. partit. tit. 5. c. 7.* Covar. *in c. alma, 1. par. §. 11. n. 1. & 2.* Morla *in emperio, tit. 2. quæst. 21.* Anguianus *de legibus lib. 3. c. 33. num. 15.* Canisius *in d. c. præterea*, late Acuma *in n. si quis 2. 94. disp.* Binius *de jurisdict. c. ult.* Fragoso *de regim. l. 2. lib. 4 disp. 11. n. 1.*

11 Impugnatur hæc assertio.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequentibus difficultatibus. Prima nascitur ex eo, nam si delegatus posset reos contumaces pœnis coercere, ut in dictis juribus docetur, posset illis multam dicere, *Canonica, ff. si quis jus dicenti*: sed delegatus non potest illis multam dicere, ut probat Barbosa *in d. 2. §. vide. n. 85. ff. de judiciis*: ergo delegatus non potest reos contumaces coercere. Secunda difficultas nascitur ex natura jurisdictionis delegatæ; notum enim est, jurisdictionem delegatam esse odiosam, cum per eam jurisdictio ordinaria restringatur, *c. ad hæc 10. de rescriptis, l. litigatores 12. ff. de pactis*: quare non est ampliandæ, aut extendenda ultra caussas in ipsa nominatim comprehensas, *c. cum dilecta 22. de rescriptis, c. cum olim 32. hoc tit.* nec ad alias personas præter designatas in ipso rescripto, *c. pastoralis 14. §. quoniam, c. Rodulphus 35. c. significasti 36. de rescript. c. causam, c. P. & G. hoc tit.* Sed causa contumaciæ, & personæ impedientis jurisdictionem delegatam, non fuit comprehensa in ipsa delegatione: ergo delegatus non potest protrahere jurisdictionem suam ad alias causas, vel personas. Tertia etiam nascitur ex eo; nam frustra precibus impetratur, quod jure communi conceditur, *l. unico, Cod. de thesauris, lib. 10.* & superfluo exprimitur in aliquo instrumento, quod ex natura rei venit, argumento textus *in c. si is 30. de privileg. l. si quando 109. de legat. 1.* sed in rescriptis plerumque concedituir jurisdictio delegata cum ea clausula: *Contradictores censura ecclesiastica compescentes, d. c. pro illorum, dict. c. sic officium, §. compescendi*, Barbosa *de clausulis, clausula 33.* igitur quia talis facultas compescendi impedientes, & contradictores, ex natura jurisdictionis delegatæ non veniebat. Tandem quarta difficultas non levis ex eo proveniit; nam certum est, neminem in causa propria, judicem esse posse, vulgaribus juribus *in §. unica, C. ne quis in sua, l. qui jurisdictionem, ff. de jurisd. l. Julianus, ff. de judiciis, c. dilectis 11. de pœnis, c. nulla 4. q. 4. c. viduam 2. q. 6.* Gothofredus *in §. unica, C. Theodos. ne in sua causa.* Unde judices ecclesiastici pro injuria sibi illata excommunicationis sententiam proferre non possunt, *c. inter querelas 25. 23. q. 4.* Petrus Gregor. *lib. 4. partit. tit. 8. c. 8.* ergo judices delegati impedientes suam jurisdictionem coercere non possunt, ne in propria causa jus sibi dicant.

12 De officio, & potestate delegati.

His juris considerationibus minime obstantibus, sciendum est, in præsenti titulo agi non solum de officio, verum & de potestate judicis delegati, quæ diversa sunt; nam aliquando agitant an judicem delegatum ratione potestatis; alia, quæ ratione officii facere tenetur; non enim synonyma sunt officium, & potestas in præsenti rubrica, ut existimarunt Decius, & Abbas *in ea*; sed diversa significant, ut animadvertit Germonius *in præsenti rubrica*, officium enim refertur ad ea, quæ delegatus ut delegatus facere debet; potestas vero ad ea, quæ facere potest virtute jurisdictionis; & hæc est propria acceptio verborum officii, & potestatis in hac rubrica. Et licet juxta rubricæ seriem potius Compilatores Decretalium, quæ spectant ad officium Delegati, mox quæ ratione potestatis ipsi exequi possunt, compilare deberent; tamen permixtim, & turbato ordine, quæ sunt officii, & potestatis recenset. Ad secundam partem, videlicet ad ea, quæ possunt exequi a delegatis, spectat hæc prima decisio, in qua statuitus, judices delegatos posse non solum coercere reos contuma-

tumates in delegatione expressos, verum, & impedientes usum suæ jurisdictionis. Sed ut ordinate procedamus, saltem breviter recenseamus, quæ ratione officii delegatus facere tenetur.

13 De officiis delegati.

Primo delegatus judex debet recipere litteras commissionis, & jurisdictionem acceptare; antea enim non potest in ea procedere, etsi sciat eam sibi commissam esse, & litteras jam expeditas esse; debent enim præsentari prius, *c. super eo 12. de app.* plures congerit Salgado *de protect. Regia, p. 4. c. 6.* Garcia *de beneficiis, p. 6. cap. 2. n. 7.* & tunc delegatus debet jurisdictionem acceptare, ut post Baldum, & Castrensem docet Salgado *ubi sup.* etiam debet delegatus statim jurare, se in causa processurum secundum veritatem, sacrorumque canonum statuta, *l. vrm 14. Cod. de judiciis, authent. de defensoribus, §. juramentum*; plura Barbosa *in d. l. rem*, ubi Giphanius; postea debet ipsas litteras delegationis coram ordinario judice edere, *c. cum in jure 33. hoc tit.* tunc copia facta partibus rescripti delegationis, eas citare, & jubere coram se comparere debet, *c. præterea 5. hoc tit.* formam suæ delegationis diligenter servando, *c. venerabilis 37. hoc tit. c. cum dilecta 22. c. Redolphus 35. de rescriptis.* Debet etiam delegatus juris ordinem servare, exceptiones admittendo rationabiles, *c. causam quæ, de rescriptis, c. ex parte 13. hoc tit.* nisi aliter in litteris delegationis comprehendatur; cum enim nullum aliud habeat officium, nisi ex litteris suæ delegationis comprehensum, illud debet delegatus diligenter custodire, argumento textus *in l. diligenter, ff. mandati*, & sic exceptiones admittere potest rationabiles, non enim Apostolica Sedes prohibendo exceptiones admittere, intendit omnes rejicere, nam quæ legitimæ sunt, & rationabiles, non solent rescripto Principis rejici, *l. 2. C. de precibus*, ne jus proprium auferatur a reo, aut via præcludatur, ut docent Osualdus *ad Donell. lib. 22. cap. 9. littera E*, plures Barbosa *in d. c. ex parte*. Nec contrarium probant textus *in c. later 2. q. 7. c. placuit 21. q. 2. c. si homo 27. q. 1.* ex quibus Glossa *in d. cap. ex parte*, intendit probare exceptione omnes rejici solere a R. Pontifice. Nam omissa solutione Petri Gregorii *in c. cum te 7. de rescriptis, n. 3.* qui affirmant Pontificem *in d. c. ex parte*. oblitum decisionum Prædecessorum suorum, asseruisse nunquam Sedem Apostolic. consuevisse omnes exceptiones rejicere in judicio: dicendum est, in dictis juribus agi de causis criminalibus, in quibus sua natura exceptiones seu dilationes non admittebantur; & sic delegando Pontifex causam rejectis exceptionibus, nihil contra jus delegavit.

14 Delegatus iuris.

Et ut agnoscamus qui judex delegatus sit, sciendum est, quod licet judicis delegati nomen ambiguum sit, conveniatque tam illis, quibus sola notio committitur, *l. unica, Cod. qui pro sua jurisd. leg. 5. C. de judiciis*; & illis, quibus mandatur, & delegatur jurisdictio, *l. 1. ff. de damno infecto*; tamen ii inter se valde differunt: Primo in eo, quod judex datus solum habet cognoscendi facultatem, non vero jurisdictionem, sed tantum notionem, *l. 5. l. a D. Pio 15. ff. de re jud.* exequi vero sententiam nequit, *l. 2. Cod. de jurisd.* nisi ex concessione Magistratus, juxta textum ita intelligendum *in l. simili, Cod. de judiciis*: at delegatus eam exequi valet, ut dicemus infra *in c. 7.* Secundo differunt in eo, quod judex datus alium judicem dare nequit, quia hoc licet tantum habenti jurisdictionem. Donellus *lib. 17. comment. cap. 8.* P. Barbosa *in l. cum Prætor 12. §. is quoque, ff. de judiciis, l. legatus 12. ff. de officio Proconf.* Datio enim judicis effectus jurisdictionis est, *l. 1. ff. de jurisd.* Deinde differunt, quia a sententia judicis delegati non appellatur ad delegantem, sed ad superiorem delegantis, *l. 1. §. si quis, versic. denique, l. Imperatores 21. §. 1. ff. de appell. leg. finalis, ff. quis, & a quo appelletur, l. unica, C. qui pro sua jurisd. l. 32. §. hæc, C. de appel.* a judice vero dato ad dantem appellatur, quia datus judex, ejus qui dedit, non exercet jurisdictionem. Aliud quippe est jurisdictionem mandare, quam qui volens suscipit, vicem ejus subit, aliud dare judicem, quod munus tamquam publicum invitus suscipit, *l. fin. §. judicandi, ff. de muner.* & sic suscepto tali munere ex jure publico, tamquam suum habet, *l. quippe 78. ff. de judiciis*; unde a dato ad dantem appellatur, Cujacius *l. 1. qq. Papin. in leg. 15. de officio Proconsulis*, & *l. 7. observ. c. 32.* Donellus *l. 28. comment. c. 7.* ubi Osualdus *litt. B*, Morla *in emptorio, tit. 2. n. 90.* ex quo fit, morte mandantis finiri jurisdictionem delegati, *c. gratum*, ubi dicemus, *hoc tit.* quod in judice dato non procedit, quia jure proprio, non alieno notionem habet. Osualdus *l. 77. Donelli, c. 26. litt. F.*

15 Quæ competant delegato.

Secundo prælibandum est, mandata jurisdictione, ea omnia commissa censeri, quæ necessaria sunt ad illius exercitium, *l. 2. ff. de jurisd. l. ad rem 36. l. ad legata 62. ff. de procur. l. quidam 57. vers. Principis, ff. de re judic.* & ut recte possit talis jurisdictio exerceri, *c. præterea 5. c. significasti 7. c. prudentiam, §. fin. c. suspicionis 39. hoc tit.* Gentilis *l. 2. de jurisd. c. 23* Matheacius *in d. l. 1.* ubi Goveanus. Cum enim delegatus personam delegantis repræsentet, & mandatum jurisdictionem suscipiat, suscipit sicut ipse habebat jure Magistratus, *l. fin. ff. de officio ejus*. Unde Ulpianus *in l. 1. §. nunquam 4. ff. de suspectis tutor.* affirmat, mandata jurisdictione omne juris dicendi officium transfire; ergo delegatus potest partes citare, *c. de illis 4. §. 1. hoc tit.* contumaces punire, *dict. c. præterea, d. c. suspicionis*. Circa pœnas autem, quas ipse imponere potest, distinguendum est, an jure communi pœnæ sint constitutæ, tunc enim infligendæ sunt, *d. c. de causis, §. 1.* si non sint statutæ, arbitrio ipsius relinquitur pœnam infligere, & tunc non solum excommunicationis sententiam, verum interdicti, aut suspensionis pro qualitate delicti potest irrogare ex hoc capite 1. in illis verbis: *Districtione ecclesiastica*, juncto capite *quærenti 10. de V. S.* licet Riminaldus *in d. c. 1.* existimaverit, delegatum solum excommunicationem proferre posse, motus decisione textus *in d. c. pro illorum 22. de prob.* Sed fallitur; nam licet in eo textu referatur, delegatum sententiam excommunicationis protulisse contra impedientes jurisdictionem, non inde infertur procedere non potuisse per suspensionem, aut interdictum. Circa pœnam privationis beneficii dubium est. Et Menochio *de arbitris, casu 433. n. 4.* Quæ sententia probatur ex eo, nam cum pœna privationis beneficii sit magna, non nisi ex gravi causa debet imponi, *c. inventum 38. 16. q. 7.* neque ab eo potest ea imponi, qui tantum habet modicam coercitionem, ut est delegatus, *l. fin. ff. de officio ejus*; late Genticilis *l. 2. de jurisd. d. c. 5. & 6.* Nec obstat textus *in d. c. quia diversitatem*, qui procedit ex speciali delegatione R. Pontificis, cujus virtute potuit delegatus privare beneficio impedientes suam jurisdictionem, ut docent Imola *ibi, n. 7.* Decius *n. 94. in hoc cap. 1.*

16 Ampliatur præsens articulus.

Hucusque tradita ampliantur, ut procedant, cum delegatus eget auxilio brachii sæcularis; potest enim illud implorare ad coercendos impedientes usum suæ jurisdictionis, sitque ad coercendos impedientes usum suæ jurisdictionis, sicut alii judices ordinarii, *c. administratores*, ibi: *Quotiens ab ipsis ecclesiasticis viris conventi fuerint*. Quibus verbis, tam ordinarii, quam delegati comprehenduntur, *c. qualis 44.* ibi: *Et omnibus præbeatis auxilium, 23. q. 5.* Accedit, nam delegatus major est quocumque ordinario, *c. sane 11. hoc tit.* Sed quilibet judex ordinarius potest auxilium brachii sæcularis implorare, *c. 1. c. quoniam, de officio ordinarii*: igitur & delegatus. Defendunt hanc opinionem innumeri congesti a Barbosa *de Episc. potest. allog. 106. n. 39.* Moneta *de conserv. c. 8. n. 260.* D. Josephus Vela *in allog. 106. n. 39.* Moneta *de conserv. c. 8. n. 260.* D. Josephus Vela *in d. c. 1. de officio ordinarii, n. 20.* Fermosinus *in c. cum non ab homine, q. 3. n. 5. de judiciis*. Nec contrarium probat textus *in c. ut officium, §. competendi, de hæreticis, l. 6.* quo moti Rendin. *de Majestate Principis, verbo, Non solum armis, n. 158.* Pereyra *de manu Regia, 2. part. q. 52. n. 13.* Marquesanus *de commissionibus, 1. p. c. 5. n. 149.* existimarunt, judices delegatos non posse implorare auxilium brachii sæcularis; nam licet in eo textu Inquisitoribus concedatur, ut possint implorare auxilium brachii sæcularis, non ideo alias delegatis hoc denegatur, nec speciali ratione tititur textus ille; quare aliis judicibus delegatis idem jus concessum creditur. Ampliatur etiam prædicta doctrina, ut procedat, tam in delegato inferioris, quam Principis: nam cum judex delegatus delegantis personam repræsentet, & ejus jurisdictione, & potestate utatur, atque ex ejus persona æstimanda sit jurisdictio, Osualdus *ad Donellum l. 17. c. 8. littera L*, Alciatus *in rubrica de officio ejus, n. 25.* & judex ordinarius possit impedientes jurisdictionis suæ usum punire, *l. 1. ff. si quis jus dicenti*, juncto Pancirola *l. 2. var. c. 16.* ita delegatus inferioris potest punire impedientem suam jurisdictionem, ut docent in præsenti Decius *n. 82.* Mantua *n. 52.* alii congesti a Menochio *d. casu 438.* Fragolo *d. disp. 11. n. 1.*

17 Traduntur variæ decidendi rationes.

Præsentis decisionis Alexandri III varias reddunt rationes Interpretes supra relati. Aliqui existimant, ideo judices delegatos posse contra impedientes jurisdictionis usum procedere, quia agentes & consentientes pari pœna puniendi sunt ex hoc textu, & supra traditis. Sed hæc ratio non convenit præsenti decisioni, nec ut decisiva traditur a nostro Alexandro in præsenti, ut jam supra dixi: licet enim verum sit, agentes, & consentientes pari pœna puniendos esse, non tamen inde infertur, puniri debere a judice delegato, cum possint plecti, & coerceri a judice ordinario. Hac ratione omissa Glossa in præsenti, *verbo impedire*, Hosticensis Joannes Andreas, & fere omnes antiquiores, quos sequitur P. Greg. *l. 22. syntagm. c. 12.* rationem petunt ex principio textus *in l. 2. ff. de jurisdict. c. præterea 5. hoc tit.* & aliis supra adductis, quibus probatur, concessa alicui jurisdictione, omnia ad illius usum, & exercitium concessa præsumi, quare & mandata creditur jurisdictio non solum in partes pontes comparentes, verum & in contumaces, & impedientes usum jurisdictionis. Sed hæc ratio tantum probat, posse judicem delegatum procedere contra impedientes jurisdictionem eo casu, quo aliter jurisdictio exerceri non valeat: sed certum est, posse delegatum procedere, & punire non solum partes contumaces, verum & alios eorum præceptis non parentes, etiamsi ex eo jurisdictionis usus non impediatur, ut probant in præsenti Panormit. Berojus, & Mantua: igitur prædicta ratio indistincte vera non est. His omissis Berojus, & Butrius *in præsenti*, Menochius *de arbitrariis casu 74. n. 38.* Petr. Gregor. *lib. 42. syntagm. c. 4.* existimarunt, rationem hujus decisionis provenire ex eo principio, quod docetur, delinquentes ratione delicti sortiri forum ipsius judicis, in cujus territorio delictum perpetrarunt, *c. cum contingat, c. postulasti, c. fin. de foro compet. c. 1. de raptoribus, leg. 7. §. fin. ff. de accusat.* probant late Donellus *l. 15. comment. c. 18.* Carleval *de judiciis, t. 1. disp. 2. q. 1. sect. 3.* Sed qui aut vocatus non venit, aut jurisdictionem delegati impedit, grave committit delictum, *c. quatuor 78. c. quisquis 1. q. 3.* igitur ratione ipsius delicti impedientes jurisdictionem possunt puniri ab eo judice delegato. Sed adhuc hæc ratio nostris antecessoribus non placuit, & merito; nam licet principium illud verum sit, videlicet delinquentem sortiri forum ratione delicti, procedit, & habet locum in foro judicis ordinarii, ubi judex habet territorium: sed judex delegatus non habet territorium, *l. ult. C. ubi, & apud quem*; ubi Bart. *n. 11.* Barb. *in l. cum Prætor, in princ. n. 11. ff. de judiciis*; & sic non potest forum sortiri coram eo.

18 Assignatur vera ratio.

Ex supradictis eruenda est ratio nostræ conclusionis; cum enim delegatus contra partes in delegatione compreheusas, aut impedientes usum jurisdictionis procedit, id ex tacita delegantis voluntate facit, potest enim delegatus omnia ea facere, quæ ad commodiorem, & feliciorem usum jurisdictionis desiderantur; unde delegatus absolvit actorem ab alio excommunicatum, si judex, qui eum excommunicavit, non absolvat, ut possit comparere in judicio, *c. prudentiam 21. §. 6. hoc tit.* Absolvit etiam testes, ut coram se testimonium dicant, *c. veniens 38. de testib.* & ipsos falsum testimonium dicentes plectit, ut pro interpretatione legis *nulla, C. de testibus*, notaverunt Covar. *præt. c. 18. n. 8.* Fachineus *l. 9. controv. c. 70.* quod & in pedaneis judicibus probat Græca constitutio, quam ex Basilicis restituit Cujacius *l. 13. observ. c. 38.* Etiam delegatus cogit subdelegatum suscipere, & acceptare jurisdictionem, *c. pastoralis 28. in principio, hoc tit.* item compellit arbitros in causas recusationis, seu electos in unam sententiam convenire, *cap. suscitionis 39. hoc tit.* cogit similiter judicem ordinarium, ut exequatur sententiam a se prolatam, *c. significasti 7. hoc tit.* Quæ omnia delegatus facere potest ad faciliorem expeditionem jurisdictionis sibi commissæ, & ne illusoria redigatur Principis delegatio, ut constat *ex c. in litteris, hoc tit.* in illis verbis: *Cum hujusmodi demandata jurisdictio deluforia videatur, si delegatus hujusmodi coercitionem aliquam non haberet, hoc tit. c. bona 4. de postul. Prælat. leg. si Prætor 77. ff. de judiciis, l. fin. ff. ne quid in loco*: unde ne illusorium reddatur hujusmodi delegationis rescriptum, deciditur in hoc textu, posse delegatum reos contumaces, & alios impedientes usum jurisdictionis punire, & debitis pœnis eorum contumaciam compescere.

19 Dissolvuntur difficultates.

Nec obstant difficultates supra adductæ. Non prima, pro cujus solutione illa juris quæstio examinanda est, utrum videlicet judex delegatus, qui potest impedientes usum jurisdictionis coercere, possit etiam illis multam dicere? Negant citati in ratione dubitandi, & P. Barb. *l. 2. §. fin. ff. de judiciis, n. 64.* moti eo fundamento, quia illi tantum multam dicere possunt, qui jure publico judicium exercet, *l. 1. §. ult. ff. de judiciis*, aut illi, quibus judicio data est, *l. aliud 131. §. 1. ff. de V. S.* Quæ omnia tantum conveniunt ordinariis Magistratibus, Cujacius *in d. l. aliud*: igitur delegati multam dicere non possunt. Sed contrariam sententiam, imo delegatos Principis saltem multam dicere posse, defendunt Alciatus *in d. l. aliud, §. 1. n. 10.* Valascus & alii relati a Barb. *in d. l. 2. §. fin. n. 91.* tum quia delegati in causa sibi commissa majores sunt quocumque ordinario, *c. sane 11. hoc tit.* igitur sicut ordinarius Magistratus multam dicere potest, ita etiam delegatus dicere valet; tum propter generalem decisionem text. *in c. pastoralis 28. §. ult.* ubi notavit Glossa *verbo Punitat, hoc tit.* Alii mediam viam elegerunt, existimantes jure civili verum esse, delegatos non habere jus dicendi multam, præterquam in officialem sibi subditum, qui in officio deliquit; jure autem Canonico delegato competere jus dicendi multam: docent Castrensis, & Decius *in d. l. 2. §. 1. de judiciis*. In hoc Interpretum diffidio ut veram sententiam proponamus, sciendum est, multam esse quamdam pœnam pecuniariam, Sabina voce ita dictam, ut docent Varro *l. 4. de lingua Latina*, & *l. 19. de re rustica*, Aulus Gellius *l. 11. noctium, c. 1.* & ex eis notavit Goveanus *in l. 2. ff. de jurisd.* Licet enim Romæ antequam signaretur, cuderetur que moneta, in pecoribus delicta perpetrantes multarentur, quabus videlicet ovibus in delictis levioribus; in gravioribus vero triginta, nec ultra excedere judici permitteretur, Pestus Pompejus *verbo Multa*, Plinius *l. 18. hist. c. 3.* ex eis, & aliis docent Per. Greg. *l. 1. syntagm. c. 3.* Barb. *d. l. 2. n. 83.* Brissonius *l. 1. select. c. 34.* postquam tamen pecunia cudi cœpit, prædicta pecudum multa ita æstimata fuit, ut singulæ oves denis assibus, boves vero centum æstimarentur; quæ æstimatione facta delinquentes multabantur in pecunia, ita tamen, ut multa non excederet quantitatem trium millium, & viginti assium, ut ex Petro Crinito *l. 25. de honesta disciplina*, docent Brissonius *d. c. 34.* Bodinus *l. 3. de repub. c. 3.* quæ æstimatio juxta probabiliorem sententiam, quam docet Brisson. *ubi sup.* facta fuit lege Tarpeja, postquam multa pœna pecuniaria esse cœpit: unde Consultus *in d. l. aliud, §. 1.* ait, multam hodie esse pœnam pecuniariam. Noviori jure hæc potestas multandi extensa fuit ad majorem quantitatem, *l. fin. C. de modo multarum, l. certa ratione 5. C. quomodo provocare*: illis tamen differentiis adhuc observatis inter pœnam & multam: Prima pœna ignominiam affert, *l. non potest 63. ff. de furtis, l. Divus, ff. de injuriis*; multa damnum famæ non irrogat, *l. 1. C. de modo multarum*: secundo, pœna fisco addicitur, aut publico infertur, *l. penul. C. eod. tit.* Molina *de primog. c. 25. n. 20.* pœna vero pecuniaria adversario, aut ejus heredi adjudicatur, *l. omnes 26. l. constit. 33. de O. & A. l. ult. ff. de furtis*; pœna a lege diffinita mutari non potest, *l. servos, in fine, C. ad l. Juliam de vi, c. de causis 4. §. 1.* ubi plura dicemus, *hoc tit.* multa ex arbitrio judicantis pendet, *l. si qua 244. ff. de V. S.* a pœna provocatio non datur: a multa appellare licet, *d. l. si qua*, ubi notant Gentilis, & Fornerius.

20 Qui multam dicere possunt.

Deinde observandum est, quod licet primis Reipublicæ Romanæ temporibus sine jussu Populi non liceret Magistratibus multam dicere, Cicero *l. 3. de legibus*, in illis verbis, *Magistratus inobedientem civem multa, verberibus, vinculis ne coerceto, ni par, majorve potestas prohibuisset, ad quos provocatio esto; cum Magistratus judicasset, irrogasseve per populum, multæ certa ratio esto*. Postea tamen multæ dicendæ potestas Consulibus data fuit, ut docet Cujacius *in d. l. aliud, §. 1.* Prætoribus, *l. 2. ff. si qui in jus vocatus, l. 1. §. 1. de ventre*, Ædilibus, & aliis Magistratibus Romanis: Dionysius Halicarn. *l. 10.* Procuratori Cæsaris adempta fuit talis potest. *l. 2. Cod. de modo multarum*, plura Pantoja *in l. 1. pag. . de aleatoribus*, & Duumviris, ut contra Cujacium defendit Gentilis *l. 1. de jurisd. c. 7.* Etiam jure nostro Canonico judicibus ordinariis competit jus multæ dicendæ, *c. si vos 23. q. 5. c. dilectus 18. de officio Ordinarii, c. in Archiep. de raptoribus, c. olim, de injuriis*, Trid. *sess. 25. de refor. c. 3.* dum tamen in proprios usus non convertant, *cap. irrefragabili 13. §. ult. de officio Ordinarii, c. licet 3. de pœnis*, Filesacus *in c. 1. §. 8. de officio Ordinarii*. Tandem etiam delegati judices multam dicere possunt, nam cum hæc potestas Magistratibus jure Magistratus ob mixtum imperium competat, delegati, in quos transeunt omnia, quæ jure Magistratus ordinarii judicibus competunt, multam dicere poterunt, ut contumaces, aut impedientes usum jurisdictionis coerceant, ut defendit Menochius *de arbitr. casu 348. n. 24.* Quod etiam jure civili procedit, absoletis jam illis legibus antiquis.

21 Prosequitur eadem solutio.

Nec obstat secunda difficultas; nam licet verum sit, jurisdictionem delegatam, utpote odiosam, stricte esse interpretandam, nec prorogandam de persona ad personam; tamen in præsenti specie, non virtute prorogationis delegatus, procedit contra impedientes usum jurisdictionis, sed ex tacita delegatione, ob rationem supra adductam. Nec tertia difficultas adversatur; nam licet juxta supra tradita, ex tacita delegatione delegatis competat jurisdictio in impedientes jurisdictionis usum, & frequenter adjiciatur in litteris delegationis clausula illa, *Contradictores Ecclesiastica censura coercendo*, ut tollatur omne dubium, quod dari poterat, ut docet Vela *in c. 1. de officio Ordinarii, 2. p. n. 231.* licet quæ tacite insunt, si expримantur, nihil operentur, *c. ex parte, c. in mandatum, de rescript. c. significasti 4. de elect. l. hoc verba, ff. de legatis 1.* tamen novum non est, ut impetretur quod tacite venit, & jure communi conceditur, *c. in causis 7. §. licet de procur.* Docent Rebuffus *ad leges Gallia, tit. de restit. art. 1. glossa 1. n. 12.* Ameccua *de potest. in sextum l. 2 c. 23. n. 6.* Nec tandem ultima difficultas refragatur, pro cujus solutione discrimen est constituendum inter eum casum, in quo injuria est irrogata judici, tamquam Magistratui, & publica auctoritate fungenti; & inter eam, in quo judici injuria irrogatur tamquam privato. Primo casu certum est, judicem posse vindicare injuriam sibi irrogatam, *c. Guilisfarius 23. q. 4. c. tua, ut lite non contestata, l. 2. ff. si quis in jus vocatus.* Quo casu procedunt texti *in c. si quis ab ea 2. q. 7. c. venerabilem 34. §. ceterum de elect. c. Romana, de pœnis, l. 6. Clemen. 1. de foro comp.* & præsens textus; quia tale delictum respicit publicam auctoritatem, cum commissum sit circa usum jurisdictionis; secundo vero casu, cum Ludatur tantum privata persona, non ipse judex, sed ejus superior est adeundus, ne unus idemque accusatoris, & judicis officium sustineat, *c. 1. 4. q. 4.* & ne quis in propria causa jus sibi dicat, contra text. *in l. qui jurisdictionis 15. ff. de jurisd. leg. Sultanus 17. ff. de judiciis, l. penult. ff. de rescrip. l. unica, C. ne quis in sua causa*. Quo casu procedunt text. *in c. inter querela 27. 23. q. 4.* juncto Archidiacono *ibi, c. irrefragabili, §. ceterum, de officio Ordin.* ubi pro delicto commisso in contemptum Episcopi Metropolitanus procedit, *c. dilectus, de pœnis*, qui loquitur de judice delegato, ut ex ejus integra constat. Docent, & late prosequuntur hoc discrimen Narbona *in l. 20. glossa 18. tit. 4. l. 1. recopil.* Petr. Greg. *l. 4. partit. tit. 9. c. 8.* Guazinus *in defens. eorum, defens. 1. c. 18.*

22 Exponitur c. quisquis 2. q. 6.

Primo superiori assertioni opponitur text. *in c. quisquis 29. 2. q. 6. ubi in can. 24. Concilii Milevit.* statuitur, ut si judicibus delegatis parere noluerint, det litteras primæ Sedis Episcopus, idest Primas, *c. primæ Sedis 3. 99. dist.* ut nullus illis communicet, donec obediant; quæ pœna, seu communionis privatio frequens erat illis primis Ecclesiæ sæculis, *c. placuit, c. si Episcopus, c. si quis Episcopus, 18. dist. c. ult. 58. dist. c. in loco 5. q. 4. c. Episcopus 11. q. 3. c. ult. 6. q. 1.* notarunt Suarez *de cens. disp. 24. sect. 1. n. 2.* Morinus *l. 2. exercit. c. 18.* Ex quo Canone expresse constat, judices delegatos non posse partes contumaces coercere, sed ad Primatem delegantem esse recurrendum: igitur quia delegati non habent potestatem coercendi contumaces, difficultatem agnoverunt Turrisceremata, & Archid. *ibi*, qui affirmant, in eo textu judices delegatos causam ad Primates retulisse, quia sciebant partes nullo modo velle obtemperare suis mandatis; quare ne excommunicatione inflicta, & neglecta scandalum oriretur, auxilium Primatis imploraſſe. Alii existimarunt, P. Concilii in eo Canone non negare, judices etiam delegatos posse contumaces coercere virtute delegationis, & ipsum etiam Primatem, tamquam ordinarium, posse partes communione privare. Tandem alii textum ipsum accipiunt de arbitris, seu judicibus datis. Quibus solutionibus omissis dicendum est, *in d. c. quisquis*, non agi de judicibus delegatis, ut existimavit Glossa; sed de judicibus electis, & electitiis, ex consensu partium susceptis, de quibus *inter. a judicibus, c. sane 2. q. 6. c. sane, de foro compet. c. 1. de arbitris*, & aliis relatis ab Ant. Aug. *in epit. juris, l. 29. tit. 19.* Ciron. *ad tit. de off. ordin. & l. 2. observ. c. 2.* illi enim judices cum lis vertebatur inter duos Episcopos, dabantur a Primate ex ipsorum consensu, qui non habebant jurisdictionem propriam, aut delegatam, sed tantum ex consensu partium: quare in eos excommunicationem proferre non poterant, Quæ solutio suadetur ex integra ipsius

canonis, ubi in principio agitur de illis Episcopis, qui negligunt curam Ecclesiarum ad suam Cathedram pertinentium, jubenturque ut similia facere non audeant, & si per sex menses neglexerint, qui potuerint eas Ecclesias lucrari, accipiant. Hæc pars reperitur *in c. placuit* 15. *q.* 3. de cujus conciliatione cum capite 1. *de proscript.* videndi sunt Cujacius *in eo textu*, Germonius *l.* 1. *animadv. c. ult.* Amplius statuerunt Patres, ut si Episcopi sint diversarum Parochiarum, ille Primas det judices, in cujus Provincia est locus, de quo contenditur, & ut a sententia illorum non appelletur. Hæc pars extat *in c. a judicibus* 2. *q.* 6. & statim sequuntur verba relata *in d. cap. quia*: ex omnibus deducitur, agi de prædictis judicibus electis, non vero de delegatis.

23 Intelligitur l. unica ff. si quis jus dicenti.

Secundo adversatur textus *in l. unica*, *ff. si quis jus dicenti non obtemp.* in illis verbis: *Omnibus Magistratibus, non Duumvirис, secundum jus potestatis sua concessum est jurisdictionem suam defendere penali judicio*. Ex quibus expresse deprimitur, non omnibus, quibus mandatur, seu committitur jurisdictio, concedi eo ipso jurisdictionem, seu facultatem animadvertendi in contumaces, & impedientes jurisdictionis usum. Hujus textus difficultas subtiliorum Interpretum ingenia torsit, quare aliqui emendandam litteram judicarunt, & loco illorum verborum, *non tamen*, legendum esse, *non tantum*: ita Glossa, & antiquiores *ibi*. Sed eos refellunt Ant. Aug. *l.* 3. *emend. c.* 6. *in fine*. Gentilis *n.* 1. *de jurisd. c.* 7. Alii existimant, Duumviros non posse pœnali judicio defendere jurisdictionem, quia eam non habebant: ita docent Carol. Sigonius *de antiquo jure Rom. c.* 18. Alex. ab Alex. *l.* 3. *dierum*, *c.* 16. Bodinus *l.* 1. *de Republ. c.* 6. *n.* 34. Gentilis *l.* 2. *de jurisd. c.* 2. Duarenus *de jurisd. c.* 4. Sed prorsus contrarium, imo jurisdictionem ipsos habere, probatur *ex d. l. unica*, ibi: *Jurisdictionem suam*; & *ex l. incola* 29. *ff. ad municip. l. magistratus* 12. *ff. de jurisd. l.* 2. *C. de mancip. liber.* Unde eos habuisse tribunal, deducitur *ex l. die* 4. §. *duas*, *juncto* §. *hoc autem*, *ff. de damno infecto*, *l.* 1. *ff. de albo scrib.* & quia affine erat, & conjunctum jus dicere jurisdictioni, ideo illos judicare usque ad certam quantitatem posse, docetur *in l. inter* 28. *ff. ad munic.* Paul. *l.* 5. *sent. tit.* 5. *in princ.* quod ex antiqua quadam inscriptione probat D. Joan. Suarez *ad leg. Aquil. c.* 2. *scil.* 5. *n.* 42. Alii tandem existimant, jurisdictionem habere, non autem mixtum imperium, quod in modica coercitione consistit, & sic pœnali judicio eam defendere non posse. Ita Merillus *l.* 2. *observ. c.* 15. ubi ex hoc textu intendit probare dari jurisdictionem sine ullo imperio. Sed hæc solutio facile convincitur ex eo, quia Duumviri mixtum etiam imperium habebant, *d. l. ea qua* 26. §. 1. poterant enim sententiam suam exequi pignoribus capitis, *l. quemadmodum* 27. §. *magistratus* 7. *ff. ad leg. Aquil.* & in servos omnibus modis animadvertere, *l. magistratibus* 12. *l. si privatus* 17. §. 1. *ff. qui & a quibus*, *l. si quis uxori* 52. §. *si fugitivum* 12. *ff. de furtis*; multam dicere, Cujacius *in d. l. aliud* 131. imo ad flagellorum pœnam pervenire poterant, *l. item* 15. §. *unde* 39. *ff. de injuriis*: igitur quia mixtum imperium obtinebant. Tandem Ant. Faber *in d. l. unica*, existimat, quod licet Duumviri jurisdictionem cum mixto imperio obtinerent, non tamen amplam eos coercitionem habuisse, ut alii Magistratus, sed tantum limitatam, & sic pœnali judicio defendere non posse. Nec novum est, ut certis pœnis possint judices imperium exercere, non autem aliis, ut *in c. Milecta*, *de majorit. & obed. c. cum contingat* 13. *de foro compet.*

24 Traditur vera solutio.

His tamen omissis solutionibus, dicendum est, Duumviros esse Magistratus municipales in municipiis existentes, in quibus quia aliquando quatuor erant, Quatuorviri etiam dicebantur, ut constat ex epigraphe text. *in l.* 1. *de solut. dob. civit.* l. 12. & ex quadam inscriptione relata a Roderico Caro *l.* 1. *antiq. Hispal. c.* 20. *pag.* 17. Duumviri eligebantur ex ordine Decurionum, *l. licet* 3. §. *ult. de peculio*, *l. honore* 7. §. *is qui*, *de Decurion.* a Præside confirmabantur *leg. si quos* 59. *C. eod. tit. lib.* 10. quorum digitatus magna erat; quare Principes Reipublicæ appellantur *in l. spadonem* 15. §. *si civitatis*, *ff. de excus. tutor.* durabat ea per annum, *l. qui ergo ff. ad munic. leg. ad Magistratus* 12. *ff. de Decur.* Concil. Illiber. *can.* 56. *Magistratum eum anno, quo agit Duumviratum*. De cujus expositione post Mendozam *ibi*, nos late egimus. Hodie apud Nos possunt comparari judicibus, quos dicimus, *Alcaldes ordinarios*: diversi erant a defensoribus Civitatum, qui hodie appellantur *Sesmeros*. Illi enim eligebantur a Præside, *l.* 2. *C. de defensorib. civit.* Donellus *l.* 17. *comment. c.* 8. ubi Osual. *littera* X, Cujacius *l.* 3. *observ. c.* 14. habebant jurisdictionem, & mixtum imperium: vices Consulum in municipiis gerebant, & sic pro Consulibus accipiuntur *in l. quidam* 30. *ff. de acquir. hæred.* Nec tunc obstat dicta lex unica, *ff. si quis jus dicenti*: nam illa verba, *pœnali judicio*, accipienda sunt pro actione pœnali, quam dictare Magistratus municipales non poterant; id enim proprium erat Magistratuum Populi Romani, *l.* 2. §. *demum*, *ff. de origine juris*, *l. cum Prætor* 11. §. 1. *ff. de judiciis*. Nec novum est, ut judicium accipiatur pro actione, *l.* 1. *ff. de his qui deficerunt*, *l.* 3. *ff. de sepulchro violato*, & in eo textu ita accipit Cujacius *ibi*: quare licet eo modo non possint jurisdictionem defendere, aliis tamen modis posse non negatur. Docet Præceptor D. Franciscus Ramos, relatus a D. Joanne Suar. *ad leg. Aquil. ubi sup.*

25 Exponitur l. 3. §. 1. ff. ne quis eum.

Tertio obstat text. *in l.* 3. §. 1. *ff. ne quis eum qui in jus vocatus est*, ubi asseritur, eximentem, seu extrahentem reum ad judicem pedaneum vocatum, pœna illius edicti non teneri. Quem textum ita expendo: Pedanei judices similes sunt judicibus delegatis, ut censet Arianus *ad Paulum l.* 5. *sent. tit.* 38. & pedanei sunt judices, quibus mandata est jurisdictio, ut docet Charondas *de jurisd. n.* 4. qui adducit legem *si quis* 38. §. *judices*, *de pœnis*: sed pedanei non possunt coercere impedientes suam jurisdictionem, nec eximentes in jus vocatos pœna illius edicti: igitur nec delegati in eos animadvertere valent. Tota hujus textus difficultas consistit in vera cognitione judicum pedaneorum. Et sciendum est, judices pedaneos eos dici, qui tribunal ascendere non poterant, imo in subsellis imis ad pedes Prætoris sedebant. Budeus *in l. ult.* §. *judicandi*, *ff. de muneribus*, *& honoris*. Cujacius *in novella* 82. Gentilis *l.* 2. *de jurisd. c.* 8. Osual. *l.* 17. Donelli, *c.* 2. *litt. I*, Eorum judicum duplex genus erat. Primum eorum, qui pedanei judices dicebantur, Magistratus inferiores erant, qui non habebant tribunal, ut tribuni plebis, & alii. Osual. *ubi supra*: isti neque in jus vocationem, neque apprehensionem habebant, ut tradit Aulus Gellius *l.* 3. *noctium*, *c.* 20. Secundum genus eorum erat, qui in quinque decurias selecti admissique erant ad munus judicandi, qui judices dati, & pedanei dicebantur, quia ad pedes Prætoris sedebant; de quibus *in l.* 3. §. 1. *l.* 4. *de tutor. l. si quis* 38. §. *judices*, *ff. de pœnis*, *l.* 1. §. *item*, *ff. depositi*, *l. sancimus* 15. *C. de judiciis*: isti jurisdictionem non habebant, sed tantum notionem, *l. ait*, *Prætor* 5. *ff. de re judicata*, *l. penult. ff. de confessis*: unde cum edictum, *ne quis eum*, propositum esset contra eos, qui in jus vocatos vi eripuerunt, *l.* 1. *ff. eod. tit.* jus autem accipitur pro tribunali, *leg. jus* 11. *ff. de justitia & jure*: inde eximentes vocatos a pedaneis judicibus, non tenentur eo edicto, quia pedanei neque vocare jus, seu tribunal poterant. Docent Eguinarius Varo, & Faber *in eo textu*, Osual. *ad Donel. l.* 23. *comment. c.* 2. *litt. E*, quæ solutio probatur eo principio: nam damnati calumniæ causa in jure, adest coram Prætore pro tribunali sedente, postulare nequeunt, *l.* 1. §. *ait Prætor*, *ff. de postul.* & tamen ut non possint coram pedaneo judice postulare, SC. speciali opus fuit, *d. l.* 1. §. *item*, ubi Faber notavit: igitur quia idem non est coram judice pedaneo postulare, ac coram Prætore.

26 Expicitur novella 53. cap. 4.

Eodem modo, & de eisdem judicibus datis exaudiendus est Justinianus *in novella* 53. *c.* 4. in illis verbis: *Si vero non administrat (id est Magistratus non est) sed datus sit a quodam judice, sive ex sacra forma, aut iussione, aut etiam ab aliquo administratore, ad illum remittatur, a quo datus est, ut deducatur ab illo, ne causa manent undique desolata*. Ex quibus expresse constat, quod si reus, postquam juramento promisit judicio stisi, non steterit, sed a Civitate aufugerit, tunc datus judex non potest eum citare, aut contumacem punire; sed ad superiorem, qui eum judicem designavit, referat: igitur delegatus contumacem punire non potest. Ab hac difficultate facile expediri possunt, qui amplectuntur quorumdam opinionem existimantium, tantum delegatum Principis posse citare per edicta, quia hujusmodi citatio est nimis odiosa, & exorbitans a jure communi. Ita docuerunt Vantius *de nullitatibus ex defectu citationis*, *n.* 125. Scaccia *de judiciis l.* 1. *c.* 34. *n.* 3. & alii relati ab Oualdo *l.* 23. *comment. c.* 2. *lit. H*, quorum sententia in edictis assigendis vera est, & probatur ex authentico *Qui semel*, *C. quomodo & quando*; non autem in citatione, quæ fit per scripturam, quæ omnibus delegatis permittitur. Hac ergo sententia omissa, quæ verbis relatis neque congruit, neque adaptatur, dicendum est, *in d. c.* 4. agi de judice pedaneo, qui causæ tantum notionem, non vero jurisdictionem habeat, qui cum inserviat formulæ ei præscriptæ, *l. cum fideicommissis* 7. *ff. de confessis*, docet Polletus *l.* 3. *hist. fori*, *c.* 15. Goveanus *in l. de jurisd. nu.* 3. Morla *in emporio*, *tit. de jurisd. n.* 83. Duarenus *ad tit. de judiciis*, *c. de judiciibus datis*, & *l.* 1. *disp. c.* 53. Revardus *pro Trib. c.* 11. inde tales pedanei judices dati ad causæ disceptationem non poterant reos absentes requirere, & punire, cum talis jurisdictio mandata non esset: permittebatur autem prædictis judicibus testes humilioris conditionis quæstioni subjicere, *novella* 90. *Justiniani*, ubi Cujacius notavit.

27 Intelligitur l. properandum, C. de judiciis.

Quarto adversatur superiori assertioni text. *in l. properandum* 14. §. *sic autem* 3. in illis verbis: *Sive per relationem ad majorem judicem hoc referatur*. Ex quibus deducitur, Magistratibus minoribus (quales sunt judices delegati, *l.* 2. *C. de pedaneis*,) non licere impedimentum jurisdictionis suæ removere, sed potius causam referendam esse ad superiorem: igitur delegatus non potest impedientes coercere, aut tollere impedimenta suæ jurisdictionis. Cui difficultati respondendum est, Justinianum in eo textu non agere de judice delegato, sed de ordinario; & quia quilibet judex, sive ordinarius, sive delegatus non potest exequi sententiam suam extra territorium, quia extra illud jus dicenti impune non paretur, *l. fin. ff. de jurisdictione Cov. l.* 3. *var. c. ult. n.* 8. quia in alieno territorio nulla jurisdictio est, *l. argentarium* 45. §. 1. *ff. de judiciis*, *l. cum una* 12. §. 1. *ff. de rebus auctorit. jud.* debet judex sententiam proferens litteras suas mittere, vulgo *requisitorias*, ad judicem loci, ubi sententia exequenda est, sive æqualis, sive major, minorve sit, ut sententiam ipse exequatur, *l. a Divo Pio* 15. *in princ. &* §. 1. ubi Gothofredus *litt. B*, Osual. *l.* 27. *Donelli*, *c.* 3. *litt. S*, Parexa *de instrum. edit. p.* 2. *tit.* 1. *resol.* 8. & nos plura de his litteris adducemus *in c. postulasti* 14. *de foro comp.* unde quia *in d.* §. *fin. autem*, bona in quorum possessionem mittendus erat actor, existebant in alieno territorio, jubet Justinianus, ut si judex non potest pro sua jurisdictione sententiam exequi, referat causam ad superiorem, & majores Magistratus, ut per eos actor mittatur in possessionem. Ita illum textum exposuerunt Castrensis *ibi*, *n.* 4. Jason *n.* 2. Menochius *de arbitr. l.* 1. *q.* 74. *n.* 29. Carleval. *de judiciis*, *disp.* 2. *n.* 17.

28 Opponitur C. de testibus cogendis.

Adhuc supra traditæ assertioni obstat textus *in cap.* 1. *de testibus cogendis*, ubi cum certa causa matrimonialis esset delegata, & testes odio, vel gratia se subtraherent a testimonio perhibendo, non ipsi judices delegati cogunt eos testi-

testimonium dicere, sed judex ordinarius, cui rescribit Pontifex, ut ipsos compellat coram delegatis testimonium dicere: ergo quia judex delegatus non potest per se omnia obire, quæ necessaria sunt ad causæ delegatæ expeditionem. Pro cujus difficultatis solutione dicendum est, in specie textus *in d. c.* 1. non ideo Pontificem rescripsisse judici ordinario, ut cogeret testes testimonium dicere, quia delegati id facere nequibant; sed potius, quia in illis partibus magis timebatur jurisdictio ordinaria, & facilius compelli poterant testes testimonium perhibere per judicem ordinarium, quam per delegatum, ut in eo textu docuit Præceptor Hontiberos *num.* 25.

CAPUT II.

Idem a *Bonon. Episcopo*.

b SAne si a nobis super aliqua causa litteræ impetrantur, & aliæ postea (non facta mentione priorum litterarum,) litteræ opponuntur, si judicibus innotuerit, donec R. Pontificem consulant, & suam exinde cognoscant plenius voluntatem, *c* executioni supersedeant utrarumque, ne pro varietate litterarum, causarum fines valeant impediri.

NOTÆ.

a BOnoniensi.) Ita legitur in hac sexta compilatione; in prima autem, *sub hoc tit. c.* 3. scribitur, *Eboracensi Episcopo*; sed perperam in utraque: Eboracensis enim Ecclesia est Metropolis Angliæ, ut probavi *in c. inter de rescript.* Legendum ergo est: *Eborac. Archiepiscopo*, ut legitur post Conc. Lateran. sub Alexandro *p.* 7. *c.* 3. & *p.* 41. *c.* 7. Quæ correctio suadetur ex eo, quia in dicta prima collectione, dum hujus textus verba compilantur, refertur in epigraphe; textum hunc esse partem capitis *inter cetera*, hoc est (ita existimo) capitis *inter cetera, de rescriptis*; capitis *inter cetera de re judicata*: quæ decisiones auctorem præseferunt Alex. III. in epistola missa Eboracensi Archiepiscopo: igitur præsens decisio, ut earum pars, eidem Archiepiscopo missa fuit.

b *Sane*.) In priori enim parte hujus textus quæstio decisa fuit, quæ reperitur *in d. c. inter cetera*.

c *Executioni*.) Ex hoc verbo varia deducunt classici repetentes in præsenti. Hostiensis *n.* 1. Joannes Andreas *n.* 4. Imola *n.* 1. Antonius *n.* 3. & 5. Panorm. *n.* 1. Felinus *n.* 2. existimant executionem hic accipi pro causæ cognitione, per quam perveniatur ad sententiam, ut *in c. significasti*, *cum sequenti*, *hoc tit.* etiam Decius *d. n.* 7. Ant. *d. n.* 5. docent omnes judices delegatos recte appellari executores, quia jus partium exequuntur, ut *in c. si quis contra* 4. *de foro compet.* Felinus etiam *n.* 2. Decius *n.* 8. notant, omnem causæ cognitionem lato modo dici executionem, quia delegati, de quibus in hoc textu, nondum cœperant in causa procedere; & tamen dicitur eos in executione supersedere. Rectius tamen in præsenti probant Imola *n.* 1. Ant. *n.* 3. quemlibet executorem appellari judicem delegatum, quatenus exequitur jus partis, & ad finem perducit, argumento textus *in c. pastoralis* 28. §. *quia vero*, *hoc tit. c. si quis contra* 4. *de foro competenti*.

COMMENTARIUM.

3 Conclusio refertur.

EX præsenti decisione sequentem deducunt Interpretes disputandam assertionem: *Si diversæ litteræ, seu contrariæ, sub eadem data impetrentur, in utriusque rescripti executione supersedendum est, donec R. Pontifex consulatur*. Consonant ex jure nostro Regio textus *in l.* 36. *tit.* 18. *p.* 3. Illustrant eam ultra congestos a Barbosa *in præsenti*, Anguianus *l.* 1. *de legibus*, *controv.* 4. Acunna *in c.* 2. 94 *dist.* Basilius *de matrim. l.* 3. *c.* 7. §. 2. *n.* 14. Arellanus *l.* 1. *antinom. c.* 1.

4 Impugnatur prædicta assertio.

Sed hæc assertio ut contraria juris principiis, sustineri non valet; nam rescripta, de quibus in præsenti agitur, adeo ambigua, & incerta erant in data, ut nullo modo cognosci posset, quod prius, aut posterius impetratum esset: sed tunc neutrum debet valere, cum incertitudo omnes vitet humanos actus, ut tutelam, *l. duo sunt* 30. *ff. de testam. tutela*, *l. tutor* 20. *C. eod. tit.* heredis institutionem, *l. quoties* 9. §. *si quis nomen*, *lib. in tempus* 62. §. *quoties*, *ff. de heredib. instituend.* legata non solum ratione personarum incerta, §. *incertis*, *Instit. de legat. l.* 3. §. *si quis duobus*, *ff. de adimendis legatis*, *l. si ita fuerit* 11. *l. si quis pluribus* 18. *ff. de rebus dubiis*, *l. cum ex pluribus* 31 *ff. de manumiss. testam. li.* 9. *tit.* 9. *partit.* 6. sed etiam incerta ratione rei legatæ, *l. si dominus* 71. *ff. de legat.* 3. & tandem omnem testamentariam dispositionem incertam vitiari, probant textus *in l.* 2. *ff. de his quæ pro non scriptis*; possessionis apprehensionem, *l. triticum* 94. *l. ita stipulatus* 115. *de V. O*, *l.* 3. §. *incertam*, *ff. de acquir. possess.* salarii pollicitationem, *l. mutua* 56. §. *salarium*, *ff. mandati*, *l. salarium* 17. *C. eod. tit.* suffragia eligentium, *c.* 2. *de elect. in* 6. tandemque ipsa rescripta, *cap. ad hæc* 10. *de rescrip.* igitur rescripta in hoc textu nullius sunt momenti. Secundo etiam adversus hanc decisionem insurgi potest ex eo, quia in rescriptis non tempus datæ, sed præsentationis attenditur, *cap. ut debitus* 39. *de appell.* sed in hoc textu constabat de præsentatione, ut patet ex illis verbis: *Et alia postea, non facta mentione prioris, opponuntur*: igitur prætextu ambiguitatis & incertitudinis necesse non erat R. Pontificem consulere.

5 Ratio decidendi.

Adhuc ut juri consona, & rationi consentanea defendenda est Alexandri decisio, cujus ratio redditur ab ipso Alexandro in calce textus, ibi: *Ne pro varietate litterarum, causarum fines valeat impedari*. Juris enim utriusque magna cura fuit, ne lites immortales fierent, sed celeriter finirentur, & partes diutius non vexarentur, *c. finem*, *de dolo & contumacia*, *c. de re judicata*, *leg. properandum*, *C. de judiciis*: sed si judices delegati variis litteris sub diversa forma impetratis procederent, lites fierent immortales, propter ipsarum litterarum ambiguitatem: igitur æquius est in causæ executione supersedere, quam cum gravi temporis dispendio in causa procedere. Et quia in dubiis, quæ emergunt circa rescripta, aut privilegia, consulendus est qui ea concessit, tamquam legitimus interpres, *c. si quando* 5. *de rescriptis*, *c. si qua* 8. *hoc tit. c. cum venisset*, *de judiciis*, *c. inter alia*, *de immun. Eccles. c. ordinariis*, *lib.* 6. ideo recte in præsenti deciditur, Pontificem consulendum esse, & interim in litterarum executione supersedendum. Nec huic decisivæ rationi obstat si dicas, diutius remorari litis exitum, si superior consulatur propter loci distantiam, & curiæ perplexitates, quam si ipsi delegati in causæ executione procedant. Nam respondeo ex consultatione superioris impediri, & suspendi judicium ad tempus breve; ex cognitione autem delegatorum diutius causam protrahi; siquidem prius ipsi judices de jurisdictione contendunt, variisque modis litem involvunt, partes diversis sumptibus vexant, & tandem legitimus judex executionem inchoat: unde celerius remedium est Principem rescribentem consulere, quam causæ executionem a delegatis properari.

6 Dissolvitur dubitandi ratio.

Nec prima difficultas supra pro dubitandi ratione expensa adversatur; licet enim verum sit, incertitudinem vitiare omnes actus humanos; tamen cum non incertitudo, sed ambiguitas datur, & illa potest tolli, ut dispositio effectum sortiatur, admittenda interpretatio est, *l. semper* 56. *lib. ea quæ* 178. §. *in re dubia*, *ff. de regul. juris*, *l. cum in testamento* 23. *ff. de rebus dubiis*. Quo spectant textus *in l. Paula* 17. §. *Pomponius*, *ff. de legat.* 3. *l. ex scriptura* 16. *Cod. de donat. l. non sine ratione*, *Cod. de bonis quæ lib.* late prosequuntur Primarii nostri Lycæi D. Joannes de Leon *in l. in ambiguo*, *ff. de rebus dubiis*, D. Martinus Bonilla in supremo Castellæ Senatu Regius Consiliarius, nunc Abulensis Ecclesiæ Præsul, *in hoc textu*. Unde cum in præsenti non incertitudo, sed ambiguitas daretur ex diversarum litterarum impetratione sub eadem data; & curandum sit, ut omnis ambiguitas tollatur, ut dispositio potius valeat, quam pereat; ideo Rom. Pontifex in præsenti casu consulitur, & rescripta sustinentur. Nec etiam adversantur textus *in dict. cap. ad hæc*, *de rescriptis*, *c.* 2. *de elect.* nam præterquam quod in eis non ambiguitas, sed incertitudo datur, specialis ratio militat in eis, ne superior consulatur *in dict. cap. ad hæc* 10. & rescripta viribus carent, ut fraus & calumnia litigantium puniatur, qui malitiose, ut judices sibi conjunctos, & adversæ parti contrarios eligerent, rescripta impetrarunt absque ipsorum judicum designatione: quare consultatio superioris non adhibetur, sed litteræ ipsæ tamquam dolo impetratæ nullæ sunt. Etiam *in dict. c.* 2. incerta suffragii præstatio nulla est, quia votum præstat, purum, magnoque consilio, & judicio perpensum præstare debet, ut ilio nostro Dominicus, & Ancharanus. Nec secunda difficultas deducta *ex d. c. ut debitus*, *de appell.* cujus interpretationem adduximus *in c. ceterum*, *de rescriptis*, *n. ult.* adversatur.

7 Intelligitur c. si duobus 14. de rescriptis, l. 6.

Adhuc superiori assertioni opponitur textus *in cap. si duobus* 14. *de rescriptis*, *lib.* 6. in cujus decisione diversa rescripta a diversis impetrata proponuntur ad unum beneficium sub eadem data; & Rom. Pontifex in hac ambiguitate non consulitur, imo potius jubetur, ut quia tempus datæ attendi non potest, tempus præsentationis inspiciatur: & si in ea ambo concurrant, locus fit gratificationi: igitur in concursu diversarum litterarum non est consulendus Princeps, qui rescripsit; sed tempus præsentationis est attendendum. Pro hujus textus expositione discrimen est constituendum inter litteras gratiæ, & justitiæ; in litteris enim gratiæ ad beneficia concessis attenditur tempus præsentationis, quia Principis gratia late interpretatur, ut hic habeat effectum, ex regula *Debet*, *de regul. juris*, *lib.* 6. rescripta autem justitiæ strictius interpretantur. Quare si non constet de earum prioritate, non attenditur præsentatio; & si cum litteris gratiæ ambo concurrant in præsentatione, deciditur in eo textu, locum esse gratificationi, quia gratia præbendæ facienda erat per Ordinarium, ad quem alias de jure competebat ipsius collatio, ut Pontifex in illis verbis: *ad quos, ut promittitur, spectabat Canonicorum receptio*, ostendit: quare ambiguitatis litterarum declaratio ad ipsum ordinarium collatorem ex Pontificis delegatione pertinet; atque ita in Canonicum receptus, auctoritate Apostolica potius quam ordinaria receptus creditur, argumento textus *in c. cum aliquibus*, *de rescript. lib.* 6. *l. unum* 67. §. *si de Falcidia*, *de legat.* 2.

8 Exponitur c. ceterum, de rescript.

Implacabilem antinomiam omnes classici repetentes, & supra laudati agnoscunt inter præsentem decisionem, & textum *in c. ceterum*, 3. *de rescriptis*, in eo enim deciditur, in concursu diversarum litterarum, secundo loco impetratas, non facta mentione priorum, ipso jure nullas esse: igitur non recte in præsenti deciditur, in diversarum litterarum ambiguitate consulendum esse R. Pontificem. Pro hujus antimoniæ conciliatione varia adduxerunt antiquiores, quorum solutionibus omissis, nam antecessoribus nostris placuit ea interpretatio, videlicet textum *in d. c. ceterum*, procedere quando diversa rescripta fuerunt impetrata diversis temporibus; quo casu notissimum juris principium est, posterius vires non habere, nisi facta prioris mentione, quia subreptitium creditur, *c. si autem, c. plerumque, de rescriptis*. Tum quia ex prioritate prælatio inducitur, *c. 1. de majorit. & obed.* quæ quidem prioritas deprehenditur ex data non solum diei, verum horæ, aut momenti; & hæc prioritas probari potest aut ipsis litteris, aut testibus, juxta tradita per Glossam *verbo Si non appareat, de rescriptis, l. 6.* Menochium *de arbitr. casu* 48. *per totum*: at vero præsens textus procedit, quando non constat de prioritate; quo casu merito constitutum est, utrisque rescripti executioni supersedendum, donec Princeps consulatur, ne pro varietate litterarum causæ exitus proteletur. Ita Card. Decius, & Panorm. *hic*, Barbatia *n.* 18. Imola *n.* 1. Petrus Greg. *l. 5. part. c. 6.* Gambara *l. 2. de officio delegati, n.* 217. Nec contrarium probat præsens textus, primo in illis verbis, *non facta mentione*; quomodo enim in secundo rescripto prioris mentio fieri poterat, si ejusdem datæ essent. Quia respondetur, non repugnare rescripta esse ejusdem datæ, & tamen fuisse diversæ impetrationis; nam si eodem die utrumque rescriptum impetratum esset, non tamen constaret, an eadem hora, cum diversis potuissent impetrari, inde ambiguitas nasceretur. Secundo in illis verbis, *non facta mentione priorum litterarum*: ex quibus evincitur, utrasque litteras non fuisse ejusdem datæ, cum non possit dici, *postea*, sine temporis intercapedine, ut docent Glossa *verbo nova, in l. pacta* 72. *ff. de contrahenda empt.* Barb. *de dictionibus, verbo Postea*, vel *prius*, nisi posterius aliquid sequatur, Barbosa *verbo Prius*. Quia respondendum est cum Hostiensi in præsenti, illa verba esse referenda non ad litterarum impetrationem, sed ad ipsarum præsentationem: quia quamvis essent ejusdem datæ, aliæ tamen prius, & aliæ posterius fuerunt præsentatæ. Etiam dici potest, rescripta in præsenti specie ejusdem datæ esse, sed aliud prius signatum, plumbatumque parti fuisse expeditum. Ponamus v. gr. unum mane, aliud vespere in datariæ Parco majori, seu minori fuisse expeditum. Ita Ancharanus *hic, n.* 1. Imola *n.* 13. Antonius *n.* 7. Decius etiam *n.* 11. prædicta verba refert ad partis allegationem, non vero ad Pontificis decisionem.

9 Traditur nova interpretatio.

Sed licet hæc solutio vera sit, tamen peculiarem aliam subtiliter excogitavit magnus ille Praceptor, Universitatis nostræ peritiæ Canonicæ Primarius D. D. Joannes Altamirano, in utroque jure apprime doctus, in hoc textu, *nu.* 27. ait eximius Doctor, textum *in d. c. ceterum*, procedere in illis judicibus delegatis, quibus cognitio, & causæ decisio committitur, ut constat ex illis: *Priores judices ad decisionem causæ possunt procedere*. At vero Alexandrum in præsenti exaudiendum esse de illis judicibus, quibus non causæ cognitio, sed executio tantum mandatur, ut patet ex illis verbis: *Executioni supersedeant*; & apertius ex summario hujus textus, prout habetur post Conc. Later. *ubi sup.* ubi ita habetur: *Quod pro varietate litterarum in executione judicibus est supersedendum*. Magnum autem discrimen vertitur inter unum casum, & alterum; nam quando judicibus, ut *in d. c. ceterum*, committitur cognitio, & causæ decisio, si postea aliæ litteræ impetrentur, in judicis priorum mentio non fiat, ex rationibus traditis *in d. c. ceterum*, subreptitiæ sunt, & nullæ; & quia priores judices cognoscere valent, an sua sit jurisdictio, & qualibet oppofita exceptione causam definire, *l. si quis* 5. *ff. de judiciis*, si post primum rescriptum aliud partes impetraverint, in quo prioris mentio non fiat, possunt pronuntiare sibi competere jurisdictionem, & rejectis posterioribus litteris, ut subreptitiis, in cognitione, & decisione causæ procedere, ut ait Alexander *in d. c. ceterum*; at vero quando executio tantum mandatur, ut in hoc textu, quia tunc voluntas tantum attenditur ejus, qui jussit executionem fieri, si post priores litteras aliæ appareant, non facta priorum mentione, quibus contrarium præcipiatur, nec priores judices exequi possunt, quod sibi litteris mandatur, quia adest in contrarium posterior voluntas ejus, qui mandavit executionem fieri: nec posteriores, quia in illis priorum mentio non habetur, & sic revocatæ non creduntur. In concursu ergo hujus voluntatis contrariæ præcipit Alexander in præsenti, ut judices in executione supersedeant, donec Roman. Pontifex consulatur. Quæ solutio suadetur *ex cap. si quando*, junctis ibi traditis, *de rescriptis*, & ex verbis quæ sequuntur post hunc textum *diit. p.* 7. post Concilium Lateran. *cap.* 3. ex quibus constat, quod in mandatis ad exequendum, si quid contrarium appareat, vel ex alio rescripto, ut hoc in casu; vel præsumpto, ut in locis proxime adductis, Romanus Pontifex consulitur, ut suam plenius expliceat voluntatem.

CAPUT III.

Idem a *London. Episcopo*.

SI pro *b* debilitate tua, vel pro aliqua *c* gravi necessitate tractandis causis, quæ tibi ab Apostolica Sede committuntur, adesse non poteris, liberum tibi sit aliis *d* personis idoneis, & discretis vices tuas committere: ita quod si res tanti est, te *e* consulere debeant, nisi forte *f* causæ ita graves sint, quod sine præsentia tua non possint omnino terminari.

NOTÆ.

a *Idem*.) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 4. & post Conc. Later. sub Alexandro III. *cap.* 5. Ad hujus inscriptionis expositionem repetenda sunt, quæ adduxi *in c.* 1. *hoc tit.*

b *Pro debilitate*.) Corporis videlicet; quamvis enim debilitas ab ægritudine secernatur *in tit. Clerico ægrotante, vel debilitate*, ubi dictio, *vel*, tamquam disjunctiva ponitur inter diversa, ut ex pluribus notavit Barb. *de dictionib. verbo Vel*; tamen in præsenti debilitas non differt ab ægritudine, ut probatur *ex c. quod* 10. ibi: *Si aliqua infirmitate*, *c. inter* 11. ibi: *Vel invalitudines corporales*; *de officio judicis ordin. c. si quis tutelam* 8. *Valetudinarii sunt, vel debilitate confecti, de testibus, l.* 2. §. *si quis cautionibus*; & rectius probatur ex hoc textu prout legitur in aliquibus codicibus, ubi habetur, *Si pro infirmitate*, ut jam notavit Ant. Aug. *in notis ad* 1. *collect. ad hunc textum*. Sed tunc obstare videtur; nam debilitas, seu corporis infirmitas, non impedit judicium animi, *l.* 2. §. *corporis, ff. de vacatione munerum, c.* 1. *de renunt.* quare in articulo mortis constitutus potest testamentum condere, *l. quoniam*, *l. jubemus*, *C. de testamentis*; & alios actus humanos celebrare, ut probat Decius *hic n.* 4. igitur debilitas corporis non est sufficiens causa, propter quam possit delegatus R. Pontificis, alteriusve Principis subdelegare. Huic difficultati satisfaciunt hic Decius *num.* 4. Joannes Andreas, & Siculus, quod quamvis in cognitione, & causarum decisione agatur de judicio animi, & intellectus, etiam corporis labor adest: quare in hoc textu delegatus ex causa infirmitatis, seu debilitatis, causam subdelegare poterat, ut indicant illa verba: *Interesse non poteris*.

c *Gravi*.) Videlicet justa, & honesta, veluti propter publica munera, vel nimia negotia, ut de judice ordinario cavetur *in lib.* 2. *Cod. de pedaneis judicibus*, *cap. inter* 15. *de officio Ordin.* & regulariter quæcumque sit causa gravis, relinquitur arbitrio judicis, ut communiter repetentes docent in præsenti.

d *Personis*.) Hinc manifeste constat, unum delegatum Principis non solum aliis, verum duobus aut tribus posse causam sibi commissam subdelegare; quia in præsenti unus tantum erat delegatus, videlicet Episcopus Londoniensis, & asseritur eum posse aliis personis causam subdelegare: quod etiam probatur *ex c. cum te* 18. *hoc tit.* ubi notarunt Innocentius *n.* 1. Panormitanus *n.* 2. *c. super* 27. *in princ. hoc tit.* & procedit ex ratione textus *in cap. prudentiam* 21. *in principio, vers. Illa quippe, hoc tit.* juncta ratione textus *in c. super* 20. *de rescriptis*. Amplius & ipse delegatus, si habet conjudicem, potest aut conjudici, aut extraneæ personæ vices suas committere, *c. quamvis* 6. *c. causa* 22. *c. super* 17. §. *si vero, c. licet* 30. *hoc tit. c.* 24. *de in integrum restit.*

e *Consulere debeant*.) Hæc verba non levem continent difficultatem, nam delegatus causam subdelegando sibi commissam, a se abdicavit in totum jurisdictionem, *c. super, vers. in alium transfert, c. venerabili, hoc tit. c. judex, vers. Si in totum commiserit, hoc tit. l.* 6. igitur post delegationem nullo modo consulendus est ipse delegatus, tamquam extraneus a causa. Cui difficultati respondendum est, delegatum posse ita causam subdelegare, ut subdelegatus teneatur ejus consilium requirere; & tunc necessario ipse consulendus est, alias sententia prolata nullius momenti erit, tamquam lata contra formam mandati, *c. cum dilecta* 22. *de rescriptis*. Accedit quia post delegationem consuli valet judex delegatus, tamquam vir prudens, & doctus, ut post Glossam in præsenti, *verbo Consulere*, docent Innocentius *n.* 1. Card. *n.* 4. Decius *n.* 5. Felinus *n.* 9. Imola *n.* 10. Butrius *n.* 12. Riminaldus *n.* 4. Sahagun *n.* 20.

f *Causæ ita graves*.) Ex his verbis deducunt in præsenti Innocent. *n.* 5. Hostiensis *n.* 7. Joannes Andreas *n.* 12. Baldus *n.* 1. & 11. Felinus *n.* 2. Panorm. *n.* 4. Mandosius *n.* 19. causas graves non posse per delegatum Pontificis subdelegari, quia gravia negotia debet per se, non per procuratorem tractare, argumento legis *in pecuniariis* 26. *C. de procur.* in his enim causis, ut innuit Alexander III. non sufficit delegati consilium, sed ejus præsentia desideratur, hoc est, ut per se omnia audiat, & cognoscat, juxta authentica *ad hæc, C. de judiciis, c. super* 27. *vers. Intentionis, hoc tit.* Sed contrarium, nimirum omnes causas, etiam graves, posse subdelegare, docent Decius *his, n.* 13. Alciatus *l.* 2. *monomach. Angeli, c.* 7. Nec aliud probat Ale-

Alexander *in præsenti*; non enim Pontifex affirmat simpliciter omnes causas, etiam graves, subdelegari non posse, sed graviores tantum excipit, ut indicant illa verba, *Nisi forte causæ ita graves sint*: ubi particula, *ita*, adauget significatum verbi *graves*, argumento capitis quanto 3. *de judiciis, c. Osius* 2. *de elect.* Quæ autem causa gravior dicatur, judicis arbitrio relinquitur.

COMMENTARIUM.

EX hoc textu talis deducitur assertio: *Judex delegatus Principis causam sibi commissam aliis subdelegare potest*. Probant textus *in c. quamvis* 6. *vers. Alii vices suas posse committere*; *c. super* 27. *in principio*, & §. *si vero*, & §. *duo sunt, c. pastoralis* 28. *in princ. c. licet* 30. *vers. Si vero, cap. venerabilis* 37. *vers. Vices suas*, *hoc tit. c. si duo* 3. *c. quamvis* 6. *c. si delegatus* 7. *c. si is cui* 10. *vers. Subdelegavit, cap. si a subdelegato* 14. *vers. Vices suas, hoc tit. l.* 6. *c. cum causa* 32. *vers. Nisi delegatus, de appell. c. statutum* 12. §. *in nullo, de rescriptis, l.* 2. *Clement.* 1. *hoc tit. Clement.* 1. §. 1. *de hæret. l. a judice* 5. *vers. nisi, C. de judiciis, l. unica, vers. hoc teneat, C. qui pro sua jurisd. l. fin. C. ubi, & apud quem*. Consonat textus *in l.* 19. *tit.* 4. *p.* 3. Illustrant plures congesti a Barbosa *in præsenti, & de potest. Episc. alleg.* 166. *n.* 44. Sanchez *l.* 3. *de matrim. disp.* 31. *n.* 2. Fachineus *l.* 1. *controv. c.* 46. & *l.* 11. *c.* 92. & 97. Donellus *lib.* 17. *comment. cap.* 8. ubi Olvaldus *littera H*, Bacconius *l.* 6. *declarationum, c.* 88. *n.* 11. P. Faber *in l. nemo* 70. *ff. de regul. juris*, Quintanadvennas *l.* 2. *de jurisd. c. ult.* Cujacius & Giphanius *in d. l. a judice*, idem *l.* 12. *observ. c.* 2. & *l.* 1. *respons. Papin. in l. filius* 9. *ff. de legationibus*, Petrus Greg. *l.* 47. *syntagm. c.* 49. & *l.* 5. *partit. tit.* 5. *c.* 4. Basilius *de matrim. lib.* 5. *cap.* 26. Moneta *de commut. c.* 8. *n.* 562. Salmasius *ad jus Atticum, cap.* 18. Canisius, Riminaldus & Sahagun *in præsenti*, Vultejus *de judiciis, l.* 1. *c.* 4. *n.* 63. Gentilis *de jurisd. c.* 28. *l.* 3. Germonius *l.* 1. *animadv. cap.* 8. Balboa *in c. cum Bartholdus, nu.* 22. *de re judic.* Solorzanus *tom.* 2. *de jure Indiar. l.* 2. *cap.* 4. *n.* 26. & *l.* 3. *c.* 4. *n.* 44. Alciatus *l.* 2. *monomach. Angeli, c.* 5. 6. & 7. Abruzo *ad leg.* 1. *ff. de officio ejus, q.* 6. *cum seq.* Bronchorst. *enantiosph. centuria* 1. *assert.* 21. Desiderius Hetaldus *l. unico emoliat. c.* 8.

6 Impugnatur hæc assertio.

Hæc conclusio ita illustrata difficilis redditur sequenti juris confideratione. Qui habent jurisdictionem alieno beneficio a eam delegare non possunt, *l. more, lib. & quia, ff. de jurisd.* sed judices tam delegati ab inferioribus, quam a Principe, nullam propriam habent, sed ejus qui mandavit, jurisdictione utuntur, *l. & si Prator*, ibi: *Partibus ejus fungens, ff. de officio ejus, l. solet.* 16. ibi: *Fungitur vice ejus qui mandavit, ff. de jurisd.* Unde dicuntur judices extraordinarii, *l.* 2. *Cod. de dilationibus*, quæ extat *in c. induciæ*, §. *spatium* 3. *qu.* 3. *c. quoniam*, ubi Glossa *verbo Extraordinario, de probat.* Notarunt Menochius *l.* 2. *de præsumpt. c.* 15. *n.* 15. Olvaldus *ad Donellum l.* 17. *comment. c.* 18. *littera A*; igitur subdelegare non possunt etiam delegati Principis. Augetur hæc difficultas primo ex eo, nam in delegatione eligitur industria ipsius personæ, sicut in aliis commissionibus contingit, *l. inter* 31. *ff. de solutionibus*: sed ubi eligitur industria personæ, delegatus non potest causam aliis committere, *c. final.* §. *finali, hoc tit.* igitur delegati etiam Principis non possunt subdelegare. Secundo augetur hæc difficultas ex prioribus verbis nostri textus: *Si pro debilitate, vel qualibet alia gravi causa*. Ex quibus facile deducitur, indistincte, & absque justa causa non licere etiam delegato Pontificis causas sibi commissas aliis subdelegare. Tertio fulcitur hæc difficultas ex eo; nam conservatores judices delegati sunt Sedis Apostolicæ, *c.* 1. *hoc tit. in* 6. sed illi non possunt causas sibi commissas aliis demandare, *cap. ultimo vers. vices, hoc tit. l.* 6. docent P. Gregor. *l.* 47. *syntagm. c.* 22. Quintanadvennas *de jurisdiit. cap. ult. num.* 7. Moneta *de conservat. cap.* 7. *nu.* 53. igitur delegati Principis subdelegare non possunt. Tandem roboratur hæc difficultas ex eo, quia regulariter cui aliquid mandatum est, potest illud alii committere, *l. neque* 11. *ff. de procur. l. ita* 5. §. 1. *ff. de administr. tutor.* igitur aut omnes delegati possunt subdelegare, aut nullus.

7 Qui delegare possunt.

Ut clarius percipiatur præsentis decisionis ratio, aliqua prælibanda sunt, & primo sciendum est, aliis causas committere posse in primis Principes, quia cum sint domini jurisdictionis, possunt ejus exercitium alii committere: isti delegati dicuntur divini judices, *l. omnes* 12. *C. de judiciis, l. constitutio* 5. *C. de fructibus, & litium expensis*; sacri cognitores, *lib. uli. C. ubi*; Senatores principalis disceptationis imaginem habentes, *in l. eos, C. de appellat.* vice sacra judicantes, *l.* 16. *C. de Theodos. eod. tit.* Etiam delegare possunt Legati, *c. ult.* §. *ult. hoc tit. c. ult. de off. Legati*; jurisdictionem enim ordinariam habent, *c.* 2. *de off. Legati, in* 6. Archiepiscopi in illis casibus, in quibus in subditos jurisdictionem habent, *c. pastoralis* 11. *de officio Ordinarii*: Episcopi, & eorum Vicarii, qui eam etiam obtinent, *c.* 1. *eod. tit.* Prætores, *l. solent* 16. *ff. de jurisd.* Proconsules, *l. Legati* 13. *ff. de officio Proconsulis*: Præsides, *l.* 3. & 4. *ff. de officio Præsidis*; Magistri negotiationum, *l. fin. C. de jurisd.* Et jure nostro Hispano judices, quos dicimus *Menestrales*, videlicet creati ab his, qui ministeria in republica exercent, de quibus *in l.* 1. & 2. *tit.* 4. *partit.* 3. Avendanno *de exequendis*, 1. *p. c.* 1. *num.* 29. Prior, & Consules Mercatorum *l. unica*, *tit.* 13. *l.* 3. *recopil.* Protomedici Regis in casibus expressis *in l.* 2. *tit.* 26. *l.* 3. *recopil.* & ut uno verbo complectar, omnes jurisdictionem ordinariam habentes, eam committere possunt, *l. more* 5. *l. eum qui* 13. *ff. de jurisd. l. cum Prator* 12. *ff. de judiciis*. Docent Morla *in emporio, tit.* 2. *de jurisd. q.* 15. *n.* 2. Donel. *l.* 17. *comment. c.* 8. ubi Olvald. *littera M*, Goveanus *in d. l. more*: cum enim jurisdictionem habeant proprio jure, eam aliis delegare valent, non a se abdicando, quam abdicare non possunt, *l. penult. ff. de off. Præsidis*: tum quia Magistratum suscipere, non est voluntatis, sed necessitatis, *l. cui muneris* 12. *ff. de muneribus*; ita & nec repudiare, seu abdicare voluntatis est, *d. l. penult. de officio Præsidis*: tum quia judices ordinarii non sunt domini jurisdictionis, sicut aliarum rerum proprii patrimonii; & sic eam aliis delegando, non creduntur a se abdicasse, sed eam retinere jure summæ potestatis, ut docent Gentilis *l.* 1. *de jurisd. c.* 26. Ant. Faber *in l. solet.* 16. *ff. de jurisd.* Donellus *d. c.* 8. & ibi Olval. *littera C*, Excipiendi tamen sunt ab hac generali regula judices appellationis consistoriales, qui licet jurisdictionem ordinariam habeant, tamen non possunt eam delegare. Avendannus, Azevedus, & Gutierez congesti a Bobadilla *l.* 3. *polit. c.* 8. *n.* 27.

8 Proponitur quædam difficultas.

Sed adversus supra dicta insurgi potest *ex l. cum Prator*, §. 1. *ff. de judiciis*, *l. fin. vers. dato judice, ff. quis & a quo*, ubi docent, illis tantum Magistratibus competere jus dandi judices, quibus lege speciali, Senatusconsulto, Principisve constitutione concessum est, aut more introductum: quare hoc edictum quoad facultatem dandi judices est permissorium, ut docent Goveanus *l.* 2. *de jurisd. n.* 16. Fulgosius *in d. l. cum Prator*: igitur non omnes, qui jurisdictionem proprio jure habent, eam mandare possunt, sive Magistratus majores sint, sive minores. Pro hujus difficultatis solutione sciendum est, verum esse, eos judices dare posse, quibus lege, aut Senatusconsulto, Principisve constitutione concessum est, aut moribus ea facultas competit. Et primo judices dare possunt Principes, *l. minor* 18. §. *sed si minor* 4. *ff. de minoribus*. Docet Brissonius *l.* 3. *de formulis, pag.* 416. Deinde Prætor, cujus proprium erat judices dare, *d. l. Prator* 12. Cicero *l.* 3. *de legibus*: *Qui de eis judicet, judicareve jubeat, Prator esto*. Quæ verba in Prætoris creatione proferebantur. Deinde Magistratus Populi Romani judices dare poterant, quia moribus introductum fuerat, *d. l. cum Prator* 12. §. 1. Vult. *l.* 1. *de judiciis*, *c.* 4. *n.* 68. Consules, *l.* 1. §. *si quis* 3. *ff. de appell. l. a Divo Pio* 15. juncta inscriptione, *ff. de re judicata, l. si cui* 5. *ff. de condit. & demonstr.* Quæstor, *l.* 3. juncta epigraphe, *ff. de jurisd.* Præfectus urbis, vel Prætorii, *l.* 1. *in princ. ff. quis & a quo appelletur, l. ult. ff. de officio Præfecti*. Docent Hothomannus *l.* 4. *observ. cap.* 3. Marcus Lyclama *l.* 1. *membran. eclog.* 10. §. 1. Legatus Cæsaris, *l. legatus* 20. *ff. de accusat.* Præsides Provinciarum, *l. ex consensu* 23. §. 1. *ff. de appell. l.* 1. *C. de pedaneis*: & tandem omnes Magistratus Populi Romani, cujuscumque ordinis, *l. ult. ff. quis & a quo*, *d. l. cum Prator* 12. ceterique Populi Romani Magistratus: docent Cujacius *ibi*, Donellus *lib.* 17. *comment. c.* 8. licet ea verba ad Magistratus tantum majores contrahant Fulgosius *ubi sup.* Alciatus *in l. imperium*, *n.* 11. *ff. de jurisd.* Corrasius *in l.* 1. *nu.* 36. *ff. de jurisd.* & cum moribus non comprehenderentur Proconsules, & eorum Legati, necessaria fuit lex Proconsularis, qua illis permitteretur judices dare, *d. l. cum Prator*, §. 1. observant Duarenus *ad titulum de judiciis, C. de judicibus datis*, Donellus *l.* 17. *c.* 23. Goveanus *in l.* 1. *de jurisd. nu.* 1. Merilus *l.* 1. *variantium ex Cujacio, cap.* 19.

9 Dissolvitur difficultas.

Quibus animadversis dicendum est, aliud esse judices dare; aliud vero jurisdictionem mandare. Judices dare tantum illi possunt, qui lege, Senatusconsulto, Principisve constitutione, aut moribus facultatem dandi eos habent: jurisdictionem autem mandare illi possunt, qui eam jure proprio obtinent. Discriminis ratio, ni fallor, ex eo provenit; nam judices dati, licet jusi, per se jurisdictionem exercent; & qui eos constituunt, notionem auctoritate publica ja illos transferunt: unde possunt eos compellere notionem suscipere. Quare necessaria fuit lex, aut similis constitutio, ut quis possit judices dare: at judices delegati, quibus mandatur jurisdictio, nihil proprium habent; ideo virtute jurisdictionis ordinariæ omnes eam mandare possunt, cum nullam jurisdictionem auctoritate publica suffultam transferant: unde *in d. l. more*, docetur, omnes posse mandare jurisdictionem, qui eam suo jure habent. Nec tunc obstat text. *in l. imperium, in fine, ff. de jurisd.* ubi docetur, proprium jurisdictionis esse judices dare posse: igitur omnes Magistratus jurisdictionem habentes, qui eam mandare possunt, judices dare valent. Quare omissis solutionibus traditis a Barbosa *in d. l. cum Prator*, §. 1. *n.* 273. Scipione *l.* 2. *de jurisd. c.* 10. Vultejo *l.* 1. *de judiciis*, *c.* 4. *n.* 68. Goveano *in d. l.* 1. *de jurisd. n.* 20. Donel. *d. l.* 17. *c.* 23. dicendum est cum Osvaldo *d. c.* 23. *littera A*, dare judicem, actum esse jurisdictionis, quia judicem dando, judiciumque constituendo Prætor jus dicit: unde nascitur, judicem dare, ex jurisdictione provenire, non quia omnibus habentibus jurisdictionem hæc facultas competat; sed sicut alii actus jurisdictionis sunt, ita & judicis datio, quia cum judex datur, jurisdictio exercetur.

10 Traditur ratio decidendi.

His animadversis in affignanda ratione præsentis decisionis, non consentiunt Interpretes; nunc placet eorum sententia, qui affirmant, ideo Principis delegatum posse subdelegare, quia ipse delegatus pro Magistratu habetur, unde tamquam Magistratus sibi assumit assessores, novella 60. Justiniani, habet apparitores, *l. penult. C. de fructibus, & litium*, & vice Principis judicat, *l.* 3. *C. ubi Senatores*, *l. fin. Cod. de mandat. Princip.* imo major est quocumque judice ordinario, *c. sane, d.* 2. *hoc tit. c. pastoralis* 11. §. *præterea, de officio Ordin. c. studuisti*, ubi Glossa *verbo Confirmare, de officio Legati*: sed quilibet judex ordinarius, qui jurisdictionem habet, potest eam demandare, ut supra probavi: igitur similiter delegatus Principis, qui jurisdictionem habet

habet a Principe, qui est viva lex, *authent. de Consulibus*, §. *vult*. Ita docent Castrensis, & Jason *d. l. a judice*, C. *de judiciis*, Bartolus *in l. legatum* 6. *ff. de offic. Proconsulis*. Quæ ratio licet per se non possit inducere facultatem subdelegandi in delegatis Principum; tamen cum hac ratione suggerente lex concessisset delegato Principis facultatem subdelegandi, *c. pastoralis* 28. ibi: *Cum delegato a Principe jurisdictio dandi judicem sit a lege concessa: & c. ult.* ibi: *Cum delegato a Principe id concedatur a jure*: & cum cui lex, aut Principis constitutio permisit judicem dare, liceat mandare jurisdictionem, *d. l. cum Prætor* 12. §. 1. delegatus Principis, quia lex specialiter ei concessit, subdelegare potest.

11 Dissolvitur ratio dubitandi.

Non obstat dubitandi ratio supra adducta; nam licet delegati Principum, ut delegati inferiorum, alieno beneficio jurisdictionem obtineant; tamen delegato Principis lex permisit, non autem delegato inferioris Magistratus. Nec primum augmentum refragatur; licet enim delegatus Principis possit subdelegare, hoc tamen procedit ubi vere mandatur jurisdictio; non tamen si nudum ministerium committatur, *d. c. ult.* §. *ult. hoc tit.* nam cum nudum ministerium committitur, licet delegatus aliquo modo dici possit, qui alium repræsentat; tamen vero delegatus non est, cum non habeat jurisdictionem: oportet enim, ut valeat delegatus Principis subdelegare, quod subdelegatio verbis, aut menti delegantis non refragetur; nam si tacite, vel expresse repugnet, non poterit delegatus etiam Principis aliis vices suas committere, veluti si ex natura causæ delegatæ, aut ex verbis, vel mente delegantis industria delegati præligatur, *c. in casi* 12. *hoc tit. l.* 6. vel si causa delegetur cum clausula, *conscientiam tuam oneramus*. Barb. *de clausulis*; *claus.* 24. *n.* 8. Fragoso *tom.* 1. *Christ. reipubl. l.* 1. *disp.* 10. *n.* 24. Nec huic solutioni obstat text. *in c. fin. de officio ordin.* ubi in eadem specie, cum nudum tantum ministerium committitur Episcopo, absolutionis videlicet, potest alteri subdelegare; nam cum aliquid committitur in perpetuum ratione dignitatis, qua quis fulget, constituitur ordinarius, non delegatus judex; unde cum *in d. c. fin.* commissum sit Episcopis in perpetuum ratione dignitatis absolvere in casibus ibi præscriptis, potest Episcopus, tamquam ordinarius alii vices suas committere, Quo modo prædictum textum cum capite finali; *hoc tit.* conciliari docent Barb. *de potest. Episcopi alleg.* 35. *n.* 17. Moneta *de commut. c.* 5. Amaya *in l. nullus* 60. *n.* 15. C. *de decurion. l.* 10.

12 Ad subdelegandum an desideretur causa.

Nec secundum augmentum rationis dubitandi obstat, cujus solutio pendet ex illa satis vexata quæstione, utrum videlicet delegatus Principis possit subdelegare absque causa infirmitatis, videlicet absentiæ, vel similis? In qua quæstione affirmativam partem tenuerunt Glossa in præsenti *verbo si pro debilitate*, Decius *n.* 12. Hostiensis *in c. pastoralis*, *hoc tit.* Menochius *de arbitrariis*, *l.* 2. *cent.* 1. *casu* 60. pro quibus faciunt nonnulla juris testimonia. Primo text. *in hoc c.* 3. in illis verbis: *Si pro debilitate*, *vel alia gravi causa*. Quæ verba ita conditionaliter prolata (particula enim *si*, importat conditionem, *l. quibus* 40. §. *quidam Titio*, *ff. de condit. & demonstr. l.* 1. §. *si quis simpliciter*, *ff. de V. O.*) inducunt necessitatem: igitur absque justa causa subdelegatio non sustinetur. Faciunt textus *in c. pastoralis* 28. in illis verbis: *Exigente necessitate*, *c. venerabilis* 37. in illis: *Corporis infirmitate gravati*. Quæ verba cum per ablativum absolutum concipiantur, inducunt conditionem, *l. Mævius*, *l. a testatore* 109. *ff. de condit. & demonstr.* igitur nisi ex gravi infirmitate, aut necessitate non licebit Principis delegato subdelegare. Faciunt etiam pro prædicta sententia duæ juris rationes. Prima, nam judices ordinarii, quibus competit facultas delegandi, ita demum possunt causas committere, si justa causa impediti sint judicare, *c. quoad sedem* 10. *de officio ordin.* videlicet adversa valetudine, aut nimia negotiorum occupatione, *c. inter* 15. *de officio ordin. l.* 2. C. *de pedaneis judicibus*: igitur similiter delegati Principis, qui a lege habent subdelegandi facultatem, tunc subdelegare poterunt, cum justa causa impediti fuerint judicare. Secunda ex eo provenit; nam hæc facultas subdelegandi concessa est delegatis Principis, tamquam exorbitans a regulis juris communis, *d. l. more*, *d. l. & quia*; igitur illo tantum casu debet admitti, cum adest justa causa, vel infirmitatis, vel necessitatis.

13 Negativa sententia defenditur.

Contrariam sententiam, videlicet justam causam non esse necessariam ad subdelegandum, docuerunt Glossa *in c. pastoralis*, *in principio*, *de officio Ordin.* Jason *in l. a judice*, C. *a judiciis*, *nu.* 11. Basilius *de matr. l.* 5. *c.* 27. Cujacius *in præsenti*, & Sahagun *num.* 15. quorum sententia probatur *in c.* 27. *in princ. c. quoniam*, *hoc tit. c. cum causa* 63. *de appell.* ubi indistincte docetur, judices delegatos posse subdelegare: igitur sive justa causa, sive non, subdelegare possunt delegati Principis. Deinde quia judex delegatus judici ordinario æquiparatur, ut supra probavi; sed judex ordinarius absque ulla causa potest mandare jurisdictionem, *d. l. more*, Covar. *l.* 3. *variar. c.* 2. *n.* 3. igitur & delegatus Principis. Hac sententia retenta, non obstant contrariæ fundamenta. Non primum deductum ex hoc textu, cui ut satisfaciant Decius *n.* 10. Panorm. *n.* 8. varia adducunt. Quibus omissis dicendum est pro hujus textus interpretatione, & text. *in d. c. pastoralis* 28. *c. venerabili* 37. *c. quoad sedem* 10. in illis juris locis justam debilitatis causam, vel similem non desiderari ad validitatem subdelegationis, sed ad honestatem, & ipsius justitiam; non tamen, quia si prætermittatur, subdelegatio nulla fit, argumento text. *in l. ad testium*, §. *si quis testibus*, *ff. de testam.* Ut autem honesta sit talis subdelegatio, debet adesse justa causa, quia injustum, ac inhonestum est, cum quis possit munus sibi injunctum exequi, alii committere exequendum, argumento textus *in c. prudentiam* 21. §. *adjicimus*, *hoc tit.* Docet Basilius *in d. c.* 27. *n.* 5.

14 Dissolvuntur alia difficultates.

Nec obstat aliud augmentum rationis dubitandi, petitum ex exemplo Judicum Conservatorum, qui etsi delegati Pontificis sint, non possunt subdelegare; quia id specialiter procedit ex ea ratione, ut potestas eorum restringatur, & quanto minus fieri possit, jurisdictio ordinaria lædatur; quare conservatores delegare non possunt, nisi duobus in casibus: primo si in litteris suæ deputationis id expresse concedatur; secundo si tantum conservatores committant citationem, aut examen testium, *c. ult.* §. *vices*, *hoc tit. in* 6. Quæ subdelegatio ita demum vires habebit, si fiat intra fines diœcesis suæ, & etiam committatur personis illis, quæ alias in Conservatores eligi poterant, *d.* §. *vices*, ubi docet Barb. *n.* 6. late Moneta *de conserv. c.* 7. Nec tandem ultimum augmentum adversatur; nam licet Glossa *in d. l. quia*, *vers. Vel dic*, & *in d. l. a judice*, *vers. Non debet*, Decius *ind. l. more*, *n.* 34. Cujacius *l.* 1. *qq. Papin. in l.* 5. *ff. de offic. Proconsulis*, Azevedus *in rubrica*, *tit.* 9. *l.* 3. *recopil. n.* 19. existimaverint judicem delegatum etiam inferioris Magistratus posse subdelegare, exemplo procuratoris & tutoris, qui aliis vices suas committere possunt, *l. quod* 8. *l. neque* 11. *ff. de procur. l. si procurator* 8. *ff. mandati*, *l. in autem* 5. §. 1. *ff. de administr. tut.* Tamen eorum sententia defendi non potest; non enim idem jus versatur in procuratore, aut tutore, ac in judice delegato, ut probant Morla *in emporio*, *tit.* 2. *de jurisd. q.* 15. *n.* 8. Basil. *d. c.* 26. *n.* 8. procurator enim per litis contestationem efficitur dominus litis, *l. ante litem* 11. *ff. de procur.* non vero sic judex delegatus efficitur dominus jurisdictionis; unde tamquam non dominus, subdelegare non potest. Hodiæ tamen jure nostro Regio contrarium observatur *xl.* 19. *tit.* 4. *p.* 3. ubi notavit Greg. Lopez.

15 Exponitur authentica ad hæc C. de judiciis.

Primo superiori assertioni adversatur text. *in authent. ad hæc*, C. *de judiciis*, ubi deciditur, judices delegatos Principis, tantum litis contestationem Consiliariis committere posse, ita ut valeant, reservata sibi sententia, ceteras litis partes delegare. Igitur delegati Principis non possunt causæ sibi commissæ cognitionem aliis demandare. Pro cujus textus expositione plura tradiderunt Glossa ibi, *verbo Delegatus*. Quintanadvennas *de jurisd. c. fin. n.* 19. Vaconius *l.* 9. *declarationum*, *cap.* 83. Donellus *l.* 17. *comment. c.* 22. ubi Osval. *littera N*, Barbosa *in d. l. cum Prætor*, *n.* 341. Sed illis omissis dicendum est, Imperatorem *in d. authent. ad hæc*, *in princ.* agere de administratoribus, & eorum assessoribus, qui judicare debebant juxta præscriptam formam in novella *Ut defunctis funera*, §. *illud*, *collatione* 6. Unde ipsi administratores causas absolute tractandas assessoribus committere nequibant: alia vero pars ipsius authenticæ, *ex vers. delegatus*, quæ loquitur de delegato Principis, procedit inspecto jure civili majori, quo attento non potest delegatus Principis reservata sibi sententia causam committere examinandam, quod jure Pontificio receptum non est, imo principium, medium, aut finis potest delegari, *c. super*, *hoc tit.* & in hac parte apertum diffidium datur inter jus canonicum, & civile, quod jam agnoverunt Glossa *verbo Principum*, *in d. c. super*, Maranta *de ordine judic.* 4. *p. d.* 5. *n.* 42. Gilkenius, & Cujacius *in d. authent. ad hæc*, Sahagun *in præsenti*.

16 Exponitur l. legatus de officio Proconsulis.

Secundo opponitur text. *in l. legatus* 12. *ff. de officio Proconsulis*, ex quo juxta litteram affirmativam, quam ut veriorem amplectuntur Ant. Aug. *l.* 1. *emend. c.* 3. Covar. *l.* 3. *variar. c.* 20 *n.* 10. Corrasius, *ibi*, deducitur; Legatum Proconsulis dare judices posse: sed illi delegatam, atque mandatam obtinent jurisdictionem, *l. observare* 4. §. *ult. l. solet* 6. §. *sicut*, *l. legati* 13. *ff. de officio Proconsulis*: igitur delegati etiam inferiorum Magistratuum possunt causas sibi commissas subdelegare. Cui difficultati communiter respondetur, textum illum specialiter procedere in Proconsule, cui lex specialiter permisit judices dare, *d. l. cum Prætor*, 12. §. 1. Ita tenent Corrasius & Zasius *in d. l. legatus* 11. Germonius *l.* 1. *animadv. cap.* 8. Sed licet hæc doctrina vera sit quoad facultatem dandi judices a Legatis Proconsulis; quoad facultatem tamen delegandi, seu mandandi jurisdictionem non fuit necessaria lex specialis: quare rectius Fulgosius *in n. l. Legatus*, Alciatus *in rubrica de officio Ordin. in* 6. & *l.* 2. *paradox. c.* 5. affirmant, nihil speciale statutum reperiri in Legato Proconsulis quoad hanc partem; quia ipse jure communi potest mandare jurisdictionem. Ratio est, quia legatus Proconsulis non est delegatus, sed ordinarius judex; & postquam Proconsul mandavit illi jurisdictionem, ad instar Vicarii Episcopi jurisdictionem obtinet ordinariam. Docent *n.* 11. Cujacius *l.* 7. *observ. c.* 21. Goveanus *in d. l. solent*, Covar. *l.* 3. *var. c. ult.* Albericus *in l.* 1. *de jurisd.* & *l.* 1. *var. c.* 6. Quæ sententia probatur *ex l. legati* 13. *ff. de officio Proconsulis*, *l. cognitio* 4. *vers. Cum propriam*, *de officio ejus*, *c.* 2. *de officio Legati*, *l.* 6. Faciunt etiam rubricæ, tam *in ff.* quam *in* C. de officio Proconsulis, & Legati, de apparitoribus Proconsulis & Legati, *l.* 12. Unde plura illis Legatis concedantur, quæ delegatis non competunt: ipsi enim tutores dare possunt, *l.* 1. *ff. de tutor. & curat.* cum talis potestas mandata jurisdictione non transeat, *l. nec mandante* 8. *ff. de tutor. & curat.* apud ipsos servi manumittuntur, *l. apud* 17. §. 1. *ff. de manumiss. vind.* cum auctoritas præstanda in manumissione mandata jurisdictione contransseat, *l.* 2. *ff. de officio ejus*: multam dicere possunt, *l.* 2. *vers. etsi*, *ff. quis & a quo*, quam dicere non possunt qui jurisdictionem propriam non habent, *l.* 1. §. 1. *ff. eod. tit.* notarunt Cujacius *l.* 1. *observ. c.* 1. & *l.* 15. *c.* 19. Robertus *l.* 1. *rerum judic. c.* 11. Hothomanus *l.* 13. *observ. c.* 1. Unde licet Legati Proconsulis, quia a Proconsule designantur, alienam videantur exercere jurisdictionem, juxta Julii Cæsaris sententiam *l.* 2. *comment.* ubi ait, non se ignorare quod est officium Legati, qui fiduciariam operam obtinet; tamen potius quasi ordinarii sunt, & tertium genus constituunt inter ordinarios, & delegatos, quare possunt causas subdelegare: docent Fachineus *l.* 1. *controv. c.* 45. Gentilis *l.* 1. *de jurisdictione*, *c.* 10. *per totum*.

Tertio

17 Exponitur c. cum Bertholdus 18. de re jud.

Tertio supra traditæ assertioni opponitur textus *in c. cum Bertoldus* 18. *de re judic.* in illis verbis: *Committentibus alii vices sibi ipsi subdelegati testes super prædicto articulo acceperunt*. Ex quibus aperte constat, alios quam delegatos Principis, posse subdelegare causas sibi commissas. Cui difficultati ut satisfaciant Glos. *ibi*, *verbo committentibus*, Hostiensis *in summa hujus tituli*, *n.* 1. §. 1. Avendanno *de exequend. mand. c.* 1. *n.* 16. existimant, in eo textu delegatum potuisse subdelegare, quia jam ils contestata erat: & sic exemplo procuratoris potuisse causam subdelegare. Sed hæc resolutio facile ex supra traditis refellitur: aliter Baldus & Angelius *ibi*, Vantius *de nullit. tit. ex defectu jurisd. n.* 24. satisfaciunt asserendo, textum *in d. c. cum Bertoldus*, procedere in delegato Legati a Latere, qui ad instar delegati Pontificis potest subdelegare. Sed hæc solutio refellitur a Felino *ibi*, *n.* 16. quia non satis liquet, delegatum Legati a latere subdelegandi potestatem habere; & si hoc admitteretur, non constat *in c. cum Bertoldus*, agi de delegato Legati a Latere: quare Felinus *ibi*, *n.* 6. & alii relati a Govar. *d. c.* 20. *circa finem*, quos sequuntur Germonius *lib.* 1. *animad. c.* 8. Everardus Bronchorst. *cent.* 2. *assert.* 44. solutionem hujus difficultatis aliunde petunt; supponunt enim, quod licet delegatus inferioris Magistratus non possit causam sibi commissam subdelegare, potest tamen aliquam ejus partem committere, *Clem.* 1. *hoc tit.* docet Bartolus *in d. l. more*, *n.* 11. licet contrarium defendant Fachineus *l.* 1. *controv. c.* 16. alii relati a Barbosa *in d. l. cum Prætor*, *n.* 111. quare cum *in d. c. cum Bertholdus*, unus articulus, videlicet testium examen, committeretur, subdelegatio vires habuit: sed licet verum sit, delegatum inferioris a Principe posse delegare illum cognitionis articulum, qui tantum nudum factum contineat, non autem qui jurisdictionis usum exigit, juxta textum ita accipiendum *in c. super* 27. *vers. Nos*, *hoc tit.* docent Barbosa *supra*, *nu.* 121. Sanchez *l.* 2. *de matr. disp.* 32. *n.* 10. tamen *in d. cum Bertholdus*, non unus articulus, sed integra causa commissa fuit, ut ex textu constat, & probat Covar. *d. c.* 20. *n. fin.* Quare his, & aliis solutionibus omissis, verior est interpretatio eorum, qui affirmant, subdelegationem in eo textu non valuisse: sed quia causa jam delata erat ad Sedem Apostolicam, ubi demeritis causæ principalis, non vero de validitate, aut nullitate subdelegationis agebatur, tantum super principali negotio decisio emanavit, & in prædictis verbis tantum refertur casus contingentia, non autem subdelegatio probatur. Ita docent Cov. *ubi sup.* Morla *d. tit. n.* 9. 15. Sahagun *in præsenti*, *nu.* 17. Balboa *in d. c.* 2. *num.* 12.

18 Explicatur c. ut commissi 12. de hæret. l. 6.

Quarto supra traditis obstat textus *in c. ut commissi* 12. *de hæret. l.* 6. ubi speciali privilegio conceditur a Bonifacio VIII. Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, ut possint subdelegare citationes ad sententias proferendas; quod etiam expresse conceditur ab Alexandro IV. in quadam constitutione relata a Penna *in notis ad Directorium Inquisit.* 3. *p.* 9. 3 ex quibus ita adversus supra dicta insurgitur. Inquisitores sunt judices delegati R. Pontificis, *c. ne aliquid*, *c. per hoc*, *de hæreticis*, *l.* 6. Sed eis tantum permittitur subdelegare citationem: igitur, quia integra causæ cognitio a delegato Principis non potest subdelegari. Augetur hæc difficultas ex Clementina 1. ibi: *Substitutis*, Clementina 2. *de hæret.* ubi innuitur, posse Inquisitores totam causæ cognitionem committere. Pro hujus difficultatis solutione sciendum est Inquisitores hæreticæ pravitatis ad cognitionem causarum fidei designatos jurisdictionem ordinariam in suis territoriis habere, licet vices gerant R. Pontificis, a quo eliguntur, vel ex ejus commissione a supremo Inquisitore, ut docent Molina *de justitia*, *t.* 6. *disp.* 18. *n.* 1. Ludovicus Paramus *de origine Inquisit. l.* 3 *q.* 2. Et si disputent Parexa *de instrum. edit.* 1. *p. tit.* 2. *resol.* 5. *n.* 12. Salgado *de supplicat.* 2. *p. c.* 33. *n.* 80. Torreblanca *de jure spirit. l.* 25. *c.* 3. & *de magia l.* 3. *c.* 5. Narbona *in l.* 20. *tit.* 1. *l.* 4. *recopil. glossa* 22. Diana 4 *p. tract.* 8. *resol.* 1. Escobar *de purit. sang.* 1. *p. qu.* 6. §. 2. *n.* 2. Thomas Delbene *tom.* 2. *de officio Inquisit.* Fermosius *in juris allegat. pro hac jurisdictione*. Licet olim cum hæc tribunalia erecta non erant, sed ad unam, vel aliam causam in diversis Provinciis Inquisitores mittebantur ut judices delegati, cumulative cum Episcopis contra hæreticos procederent: ad quæ tempora referendi sunt textus *in c. ne aliquis* 10. *c. ut officium*, *c. ut commissi*, *c. per hoc* 17. *de hæret. l.* 6. licet talis jurisdictio fidei favore morte Pontificis non finiretur, *d. c. ne aliquis*. Docent Simanchas *de Catholicis*, *tit.* 44. *n* 13. Illustris. Manrique *tom.* 1. *annal. Cisterc. an.* 1204. *c.* 3. *n.* 8. Salgado *de supplicat.* 2. *p. c.* 33. *num.* 8. Escobar *de Pontificia jurisd.* 1. *p. c.* 6. §. 2. *n.* 25. Parexa *de instrum. edit. tit.* 2. *resol.* 5. Etiam sciendum est, temporibus Alexandri IV. & Bonifacii VII. propter hæreticorum malitiam, & qualitates hæresum, satis arduum ac difficile fuisse hujusmodi Inquisitorum officium; unde eorum industria adeo præligebatur, ut tantum per se, non vero per subdelegatos procedere possent, neque causæ cognitionem delegare valerent, excepta citatione partium, aut sententiarum denuntiatione, tamquam exigui præjudicii. Et licet in dicta Decretali Alexandri IV. concederetur facultas subdelegandi examen testium, tamen Bonifacius VIII. *in d. c. ut commissi*, hanc omisit, utpote articulum non parvi momenti: sed cum postea Inquisitorum officium diutius viguisset; & variæ Pontificum, & Conciliorum constitutiones ad exercitium hujus jurisdictionis emanassent, non ita ardua hæc causarum cognitio judicari cœpit: quare permissum fuit Inquisitoribus integram causæ cognitionem subdelegare tamquam judicibus ordinariis, vel ut alii volunt, delegatis Pontificis. Narbona *in l.* 20. *tit.* 1. *l.* 4. *recopil. glossa* 22. *n.* 79. Diana *p.* 4. *tr.* 8. *resol.* 1 & 18. Carena *de officio Inquis. p.* 1. *tit.* 5. §. 11.

19 Intelligitur l. 1. §. 1. ff. quis & quo.

Tandem opponitur textus *in l.* 1. §. 1. *ff. quis*, *& a quo appelletur*, in illis verbis: *Ab eo*, *cui quis mandavit jurisdictionem*, *non ipse provocatur*: *nam generaliter is erit provocandus ab eo*, *cui mandata est jurisdictio*, *cui provocatur ab eo*, *qui mandavit jurisdictionem*. Ex quibus, junctis Accursio, & Gothofredo *ibi*, deducitur, a judice subdelegato, cui delegatus mandavit jurisdictionem: non ipsum delegatum, sed superiorem esse adeundum: igitur quia delegatus potest subdelegare, etiamsi sit inferioris Magistratus. Difficilis etiam est textus ille, dum docet, & a subdelegato appellandum non esse ad delegatum, sed ad ejus superiorem; cum certum sit, a subdelegato Principis appellandum esse ad ipsum delegatum, non vero ad superiorem, *c. delegatus* 7. *hoc tit. in* 6. igitur non recte ibi docetur, ad delegatum non esse appellandum. Huic difficultati ut satisfaciant Glossa *verbo Delegatus*, *in c. cum causa* 62. *de appellat.* Accursius *verbo Non debet*, *in l. a judice*, C. *de judiciis*, affirmant quod licet delegatus inferioris non possit subdelegare; hoc tamen limitatur in delegato ad universitatem causarum: illum enim posse unam, vel aliam causam subdelegare, supponunt. Sed contrariam sententiam, videlicet nec delegatum ad universitatem causarum subdelegare posse, docuerunt *in d. l. more*, *glossa* 2. Bartolus *n.* 1. Basilius *d. c.* 26. *n.* 9. Quintanadvennas *de jurisd. l.* 2. *n.* 3. & recte, nam ratio quæ impedit subdelegare delegatum particularem, videlicet jurisdictionis defectus, æque militat in delegato ad universitatem causarum; licet hodie usu, & praxi contraria sententia recepta sit, ut testatur Quintanadvennas *d. l.* 2. *n.* 2. Respondendum est ergo primæ difficultati asserendo, textum *in d.* §. 1. procedere in judice ordinario, qui mandavit jurisdictionem, vel in delegato Principis, qui potest subdelegare; supponendi enim sunt in eo textu termini habiles, in quibus videlicet jurisdictio possit demandari.

Pro secundæ difficultatis solutione examinandum est, utrum videlicet cum delegatus Principis causam committit, & subdelegatus sententiam profert, ab eo appellandum sit ad delegatum, an vero ad superiorem. Et ad ipsum delegatum esse provocandum suadetur *ex d. c. si delegatus* 7. & docuerunt P. Greg. *l.* 5. *p. tit.* 5. *c.* 8. *n.* 2. Mol. *de justit. tr* 5. *disp.* 21. *n.* 5. Barb. *in d. l. cum Prat.* 12. *n.* 217. Scacc. *de appell.* 9. 7. *n.* 63. Contrarium tamen, imo primum delegatum esse adeundum, probatur *ex d. l.* 1 §. 1. *ff. quis*, *& a quo*, *l.* 1. § *si quis*, *l. Imperat.* 21. *ff. de appell. l. præcipimus*, 32. C. *eod. tit. t. un. in fin. C. qui pro sua jurisd. l. fin. in fin. C. de jud.* tenent plures congesti a Fachineo *l.* 1. *controv. c.* 78 Osval. *ad Donell. l.* 28. *comm. c.* 7. *litt. B.* Pro hujus diffidii conciliatione duo casus distinguendi sunt. Primus est, cum causa commissa fuit simpliciter, & absolute, nulla facta reservatione ab ipso delegato; tunc enim certum est, non ad delegatum, sed ad delegantem esse appellandum, cum delegatus omnem jurisdictionis usum a se abdicasset, & in subdelegatum transtulisset, *c. super* 27. §. 1. *hoc tit.* ubi Canisius. Secundus casus evenit, cum delegatus Principis committendo causam sibi aliquod jus reservavit, veluti exequendi facultatem, cujus ratione iterum causæ cognitionem repetere possit; tunc enim ipse est adeundus, qui aliquem usum jurisdictionis retinuit: quo casu procedit text. *in d. c. si delegat.* ubi notavit Barbosa. Sunt etiam aliqui casus, in quibus etiam reservatione facta non appellatur ad delegatum, ut si causa tribus commissa fit, & unus subdelegaverit, subdelegatusque cum duobus aliis sententiam dixerit; tunc enim ad delegatum non appellatur, *c. si duo* 10. *hoc tit. in* 6. nam si a conjudice ad conjudicem appellaretur, ad parem provocaretur, contra principium text. *in l.* 1. §. *si quis in appell. ff. de appell.* quod facilius procedit, cum unus ex delegatis causam committit consocio, & conjudici suo, *d. c. super*, §. *si vero*. Alius casus est, cum delegatus impeditus est; ne enim causarum exitus protrahatur, ad Pontifi m appellatur, *c. si a subdel.* 24. *hoc tit. in* 6. Ultimus casus est, cum apud judicem delegatum jurisdictio in dubium vertitur, tunc enim ad delegatum non appellatur, quia licet regulariter ad ipsum judicem spectet cognitio, utrum jurisdictio sua sit, necne, *l. si quis ex aliquo ff. de jud.* hoc tamen in præsenti non procedit, ne interposita appellatione appellans videatur consentire in judicem, quem rejicere intendit, Barb. *in d. c. si deleg. n.* 2. latius dicemus infra, *in c.* 27.

C A P U T IV.

Idem *Vvillelmo* a *Car. electo.*

DE causis, quæ in certum terminum dicendæ committuntur, hoc tuam volumus conditionem tenere, quod nisi dies ab Apostolico præfixus, de communi consensu partium prorogetur, eo transacto mandatum expirat.